Constitutionum Apostolicarum de generali beneficiorum reservatione ab a. 1265 usque ad a. 1378 emissarum, tam intra quam extra corpus iuris exstantium, collectio et interpretatio.

Una cum documentis ex Tabulariis Vaticanis et Bibliotheca Barberiniana desumptis.

Dissertatio Inauguralis

Quam Pro Gradu Doctoris SS. Theologiae

Rite Capessendo

Scripsit Et

Reverendissimi Theologorum Catholicorum Ordinis

In

Alma Literarum Universitate Viadrina

Consensu Et Auctoritate

Edidit

Carolus Lux

SS. Theologiae Licentiatus.

Wratislaviae.

Typis Rudolphi Grosser et sociorum.

MCMIV.

Referens: Hugo Laemmer, P. P. O.

Plurimum Reverendo ac Perillustri

Domino Domino

Augustino Nürnberger

SS. Theologiae Doctori

In Universitate Regia Vratislaviensi

Professori Publico Ordinario

Reverendissimi Theologorum Catholicorum Ordinis

pro tempore

Decano Spectabili

Ad Sacerdotii viginti quinque annis ante initi Jubilaeum

In Reverentiae ac Pietatis testimonium

Gratulabundus

D. D. D.

Auctor.

I.

Praenotanda.

Antequam disquisitiones in Apostolicas Constitutiones de generali beneficiorum reservatione editas aggrediar, muneris mei partes esse censeo pauca praefari de opusculi huius origine et consiliis, quae in illo componendo secutus sum.

Cum quinque annis ante in Alma Urbe praeter alia negotia in Tabulariis Vaticanis etiam Registris Pontificiis tam Vaticanis quam Avenionensibus ea intentione perscrutandis incumberem, ut Litteras Apostolicas inde a temporibus Johannis PP. XXII. usque ad Gregorium PP. XI. confectas praesertim beneficia Vratislaviensia specialiter reservantes sedulo colligerem, iam tunc mediis in his studiis mihi in mentem venit iustum sane hoc propositum, conquirendi simul et omnes Constitutiones et Litteras Apostolicas eiusdem temporis generalem beneficiorum reservationem respicientes, quas ad Litteras beneficia specialiter quodammodo reservantes recte diiudicandas apprime cognoscamus necesse est.

Ceterum sane mirari iure nemo potest, me in his foliis ad huiusmodi studia convertisse animum.

Juri enim canonico vel historiae ecclesiasticae operam navantes omnes probe sciunt, quanti momenti partim opportuni partim importuni multis in rebus tam publicis quam privatis praesertim tempore exsilii dicti Avenionensis exstiterint Reservationes Apostolicae, nec palam profiteri verentur, illas magna ex parte fuisse causas seditionum saeculis sequentibus Ecclesiam Christi dire dilacerantium.

Attamen eodem modo non ignorant Reservationum Apostolicarum systematis, ut ita dicam, explicationem et enodationem usque ad nostra tempora omnino non esse exhaustam. Qua de re Phillips[1]) et Hinschius[2]), in iuris canonici historia viri versatissimi, quamquam peculiarem uterque satis eruditam instituit disputationem, tamen, deficiente adhuc accurata publicatione Regestorum, complecti hanc materiam non potuerunt. Et mihi quidem facile persuasum est, pagellis his me quaestiones de generali beneficiorum reservatione

1) Kirchenrecht V, 470 sqq.

2) System des Katholischen Kirchenrechts III, 113 sqq.

minime deduxisse ad exitum; econtra dissertationem hanc tantum quasi praeparatoriam sive ut praeludium quoddam praemittere intendo. Consilium enim est brevi proelo subiaciendi tractatum de speciali beneficiorum Vratislaviensium reservatione, in quo elaborando saepe ad praesentia folia necessario recurram.

Reliquum est, ut hoc loco fontes enumerem, ex quibus varia, quae prostant documenta, deprompsi.

Imprimis in ipso Archivio Vaticano Regesta membranacea et chartacea[1]) praesertim Paparum Avenionensium sc. Johannis XXII. usque ad Gregorium XI. diligenter perlustravi et deinde in patriam reversus sequentia Regesta, in quantum typis iam sunt impressa et in Bibliotheca Regia Univ. Vratisl. mihi erant ad manus, perlegi:

Bibliothèque Des Écoles Françaises D'Athènes Et De Rome.

M. E. Jordan. Les Registres de Clément IV.; 2e Série XI.; 1, 2, 3.
M. J. Guiraud et L. Cadier „ „ de Grégoire X. et de Jean XXI.; XII. 1, 2, 3.
M. J. Gay „ „ de Nicolas III.; XIV. 1.
Par les membres de l'École „ „ de Martin IV.; XVI. 1.
M. Prou „ „ d'Honorius IV.; VII.
M. Langlois „ „ de Nicolas IV.; V. 1—9.
G. Digard etc. „ „ de Boniface VIII.; IV. 1—3, 5—7.
Ch. Grandjean „ „ de Benoit XI.; II. 1—4.
Regestum Clementis PP. V. ex Vaticanis archetypis cura et studio monachorum O. S. B.

Bibliothèque Des Écoles etc. 3e Série. Lettres des Papes d'Avignon se rapportant à la France.

A. Coulon. Lettres et Curiales du Pape Jean XXII.; I. 1, 2, 3.
G. Daumet. Lettres Closes, Patentes et Curiales du Pape Benoit XII.; II. 1, 2.
J. M. Vidal. Lettres Communes du Pape Benoit XII.; II. 1.
E. Déprez. Lettres Closes, Patentes et Curiales du Pape Clément VI. III., 1.
P. Lecascheux. Lettres Secrètes et Curiales du Pape Urbain V.; V. 1.

Deinde inspiciendi erant Codices sequentes:

Cod. B. (Barb. XXXV, 69). Sc. secundus Liber Cancellariae Apostolicae qui de mandato Rampnulphi Presbyteri Cardinalis cancellarii per Theodericum

---

[1]) De utraque serie Regestorum sc. Vaticanorum et Avenionensium consule:
Mitth. d. Inst. f. Oestr. Geschf. VI, 140—155; IX, 420 sqq.
Riezler, Vatik. Akten z. d. G. p. X—XVI.
Tangl, Die päpstl. Register von Benedikt XII. — Gregor XI. p. 289 sqq.
Munch, Aufschlüsse über das päpstl. Archiv p. 34 sqq.
De dictis Registris ut fontibus iuris vide:
Denifle, Specilegium p. 9.
Thaner in Mitth. d. Inst. f. Oestr. Geschf. IX, 402 sqq.

de Nyem scriptorem et abbreviatorem Litterarum de libro „quaternus albus" nuncupato et Avenione confecto mense Maii 1380 Urbano VI. sedente ex officio transcriptus est.[1])

Cod. Vat. 3984.[2])

Cod. S. (Sampetrinus) ab Ottenthal[3]) signatus.

Denique ad restitutionem textus originalis quorundam capitum Decretalium adhibui quattuor Codices[4]) mss. membr. Decretalium Gregorii XI. in Bibliotheca Regia-Academica Vratislaviensi nunc asservatos sc.:

Cod.	II.	f.	29	a me	V_1	signatus
„	„	„	30	„	V_2	„
„	„	„	31	„	V_3	„
„	„	„	32	„	V_4	„

Folia haec iam diu erant quasi integra praeparata et semel atque iterum in eo eram, ut illa in publicam lucem emitterem, sed muneris mei urgentibus aliis negotiis saepissime calamum reponere et denuo arreptum iterum deponere sum coactus. Quo factum est, ut non pauca documenta, quae ipse ex Archivio Vaticano exarata publicanda statui, nunc a me erant separanda, quia ab aliis interim typis sunt excusa. Denique vix addendum erit, me in hoc tractatu canonico orationis latinae ornatum et elegantiam de industria non quaesivisse sed potius illa verborum copia ac structura loquendique consuetudine usus sum, quae in aliis scriptis canonicis et quidem in ipsis Constitutionibus Apostolicis praesertim dicti temporis inveniuntur.

---

1) Cf. Tangl, Die Päpstl. Kanzleiordnungen 1200—1500 p. X, LIV, LV. Mitth. d. Inst. f. Oestr. Geschf. X, 464.

2) Cf. Ottenthal, Regulae Cancellariae Apostolicae p. XL.

Tangl l. c. p. LXXI. — qui iniudicatum relinquit, utrum Cod. V. ex Codice B. an ex ipso libro quaterno albo duxerit originem. Mea quidem sententia ex numerosis verborum variationibus, quas in documentis partis VI. et VII. huius libelli videmus, plane perspicuum est utrumque codicem hausisse ex diverso fonte in multis tamen locis affini. Originalem vero fontem, saltem in quantum ad Cod. V. attinet, vix iam dictus quaternus albus exhibere potest, quia Cod. V. v. g. in capite „Ex debito" solus multa continet verba praesertim ordinem Cistersiensium respicientia, ad quem certe habuit nescio quas relationes. Codices B. et V. repraesentant transcriptiones quasdam paulo accurate factas, quae tamen, vitiis neglectis, ad corrigendos nonnullos locos, qui nunc in editionibus corporis iuris canonici habentur impressi, multum afferre possunt. Huiusmodi verba emendata fortiore insignita sunt scriptura in VI. parte huius libelli.

3) Cf. Ottenthal l. c. p. XLVI—XLVII. Cod. S. nunc in Regia Bibliotheca Erfordensi asservatus mihi non erat ad manus — ad preces meas accepi partem capitis „Ad Regimen" transcriptam, quam ad comparationem cum Codd. B. et V. adhibui.

4) Cf. Friedberg, Corp. Jur. Can. II. Prolegomena p. LXIII.

Theiner, Disquisitiones criticae p. 63 sqq, ubi descriptionem invenies.

II.

Introductio.

De iure Romani Pontificis reservandi beneficia nondum vacantia in genere.

Ad Reservationum Apostolicarum vim et interpretationem recte diiudicandam exordium sumat dissertatio haec a stabiliendis quibusdam principiis fundamentalibus nec non notionibus ubique in hoc libello retentis. Imprimis dicendum erit, permultos auctores in ipsa beneficiorum reservationum definitione quasi unanimiter dedisse verba nimis generalia sc.: „Alicuius ecclesiastici beneficii vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio.“[1]) Attamen cum nemini — saltem ex disciplina nunc vigenti — nisi Romano Pontifici in beneficia vacatura competat potestas libere disponendi, accuratius notio reservationis beneficiorum nostris quidem temporibus his verbis concinnatur: „Officii ecclesiastici vacaturi per Romanum Pontificem ad se facta avocatio.[2]) Reservatum ergo illud tantum dicimus beneficium ecclesiasticum, cuius

---

[1]) Aeneas de Falkonibus, tract. de reservatione benef. qu. 1. princ. n. 1.
Reiffenstuel, Jus. Can. Univ. III. t. 5. n. 378.
Schmalzgruber, Jus. Eccl. Univ. III. t. 5. n. 209.
Pirhing, Jus Can. III. t. 5. n. 317.
Garcias, tract. de benef. P. V. c. 1. n. 55. sqq.
Nominatim tantum indicare iuvat sequentia opera, quae Romae in Bibliotheca Angelica asservata inspexi:
Th. Campegius — de beneficiorum reservatione.
J. N. Cimonetus — Enchiridion beneficiorum t. IV. de gratiis exspectativis.
C. Gagliardus — de beneficiis ecclesiasticis.
L. Gomesius — de gratiis exspectativis.
P. Leurenius — forum beneficiale.
Gasparo de Perusio — tractatus de beneficiorum reservationibus.
P. Rebuffus — Praxis beneficiorum.
Giac. Simonetta — de reservatione beneficiorum.

[2]) Cf. Wernz, Jus Decretalium II. n. 333 IVa.

collationem canonicam supremus collator i. e. Romanus Pontifex exclusis omnibus inferioribus collatoribus forte concurrentibus propria auctoritate sibi avocat.[1])

Qui supremus collator,[2]) ad quem plenaria de omnibus totius orbis beneficiis ecclesiasticis dispositio iure nativo pertinet, certe unus est Romanus Pontifex, qui amplissima ac libera sua potestate vi primatus iurisdictionis utitur non vero vi alicuius iuris consuetudinarii, quamvis ad illud forte vel ipsi Romani Pontifices quasi ad fontem secundarium recurrant.[3]) Cui thesi tantum perfectam, inaequalem necnon monarchicam constitutionem Ecclesiae Catholicae negantes incassum frustraque contradicunt. Ex natura enim ipsius primatus suprema et plena de beneficiis sive officiis ecclesiasticis dispositio in Ecclesia Catholica sine dubio residet in supremo pastore i. e. in Romano Pontifice. Si ergo quis uti Hinschius[4]) ex factis mere historicis ius plenarium Romani Pontificis circa liberam beneficiorum collationem eo modo deducere studet, ut ius consuetudinarium tantum fontem agnoscat primarium, ex quo ipsa iura primatus profluunt, certe etiam facile et consequenter ad secundum errorem adducitur nempe ad hanc sententiam, eadem generalia iura pontificia per contrarias consuetudines rationabiles et legitime praescriptas radicitus abolescere posse, id quod manifeste contrarium

[1]) De discrimine inter reservationem et meram affectionem cuiusdam beneficii per appositionem manus Romani Pontificis factam cf. Wernz l. c. Gasparo de Perusio l. c. p. 13t⁰. Carolus Gagliardus l. c. I. c. 5. Praeterea in registris Romanorum Pontificum saeculi XIII. et XIV. vix ullam invenies Reservationem Apostolicam sive generalem sive specialem sine „decreto irritante“ ita, ut effectu iuridico omnes Reservationes Apostolicae a mera affectione nullo modo differant. Nam temporibus antedictis iam in ipsa supplicatione, in audientia Summo Pontifici porrigenda, quasi ex ipso stylo Curiae sine exceptione continebatur petitio pro addenda clausula sc. „cum acceptatione, inhibitione, decreto etc.“ quibus verbis insinuantur clausulae irritantes sc. „districtius inhibentes“ etc. et „decernentes ex nunc irritum et inane“ etc.

[2]) Cf. Laemmer, Inst d. Kath. Kirchenrechts p. 167.

Cavagnis, Inst. Jur. Publ. Eccl. P. II. n. 31. Suppl. ad Thomassinum, Vetus et Nova Ecclesiae disciplina q. I. n. 19. Considera etiam verba ipsius Clementis PP. VI. ad Eduardum Angliae Regem directa, quae ex parte hic apponuntur: sc.:

„Attende quoque ipsam ecclesiam, cuius pastorali règimini licet meritis insufficientibus praesidemus, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum super omnes mundi ecclesias obtinere. Ipse quidem solus eandem fundavit ecclesiam, dicente Domino Petro: Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo ecclesiam meam. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis, et super petram fidei nascentis erexit. Non enim quaevis terrena sententia, sed illud Verbum, per quod constitutum est coelum et terra, per quod denique constituta sunt omnia elementa, eandem Romanam fundavit ecclesiam, quae quidem omnes patriarchales, metropolitanas et cathedrales ecclesias et ipsarum cuiuslibet ordinis dignitatem instituit: ad cuius pastorem et rectorem ecclesiae, videlicet Romanum Pontificem omnium ecclesiarum, dignitatum, officiorum, et beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere . . . (Raynaldus Annales Eccl. ad. a. 1344 n⁰ 55.)

[3]) Ex. gr. c. 2. de praeb. III. 4 in VI⁰.

[4]) l. c. I. p. 196 sqq; III. p. 113 sqq.

Auctor laudatus (III. p. 115) disputat de hoc iure supremo R. Pontifici proprio quasi de aliquo ficto non probato (angebliches oberstes Besetzungsrecht).

Cf. etiam Munch l. c. p. 70 („anmaßende Verfahren der Curie unmittelbar in die Wirksamkeit der Lokalgewalten einzugreifen“).

est institutioni primatus ab ipso Divino Legislatore factae, qui suo in terris vicario iura in Ecclesiam Catholicam exercenda tradidit ita certa et perpetua, ut nec temporum cursu amplificari vel minui possint.[1])

Quod ad Episcopos attinet, licet sint collatores ordinarii beneficiorum in propriis dioecesibus existentium ideoque circa beneficiorum minorum liberam provisionem habeant „intentionem in iure fundatam" tamen libera illa dispositio illis competit dumtaxat de beneficiis sive de facto sive de iure vacantibus. Nam cum actus conferendi beneficia sit actus iurisdictionis non ordinis episcopalis, totam vero iurisdictionem in singulis dioecesibus exercendam Episcopi recipiant per modum iniunctionis a Romano Pontifice concessam, facile intelligitur, terminos iurisdictionis episcopalis dependere a voluntate ipsius supremi pastoris. Concessio autem litterarum exspectativarum, quae semper aliquam specialem reservationem alicuius beneficii determinati vel indeterminati nondum vacantis includebant, Episcopis iam a concilio Lateranensi III. (c. 2. X. de concess. praeb. III. 8) et postea ab ipso Bonifatio PP. VIII. omnino erat interdicta.[2])

Cum vero Episcopis in religioso dioecesium suarum regimine ex iuris reservandi beneficia nondum vacantia usu in certis casibus magna efflo-resceret utilitas, saeculis XIII. et XIV. saepe direxerunt supplicationes ad Romanum Pontificem, ut pro uno alterove casu quibusdam personis dignis de aliquo beneficio vacaturo possent providere. Sed ipsi Romani Pontifices in concedendis huiusmodi gratiis ab Episcopis summopere desideratis nequaquam se exhibuerunt faciles, sed — uti ex ipsis notis marginalibus, quas dicti Pontifices supplicationibus in audientia porrectis manu propria infigere solebant, satis clare videmus — quasi semper restringebant casuum numerum, in quibus dederunt petitam facultatem.[3])

---

[1]) Quare de facto ad probationem iuris reservandi beneficia nondum vacantia nihil refert, quo anno primum Romani Pontifices hoc iure usi sint. Huiusmodi enim disputatio, quamvis imprimis ab historiae ecclesiasticae operam navantibus certe minime sit contemnenda, tamen nullo modo fontem sed usum dumtaxat iuris explicare valet. Quae vero argumenta Hinschius (l. c. p. 114 n. 1) contra Phillips (l. c. V, 489 sqq) in medium profert non probant, Romanos Pontifices non vi iuris supremi pastoris in casibus allatis de beneficiis vacantibus vel vacaturis disposuisse; praeterea ipse Hinschius concedit, ipsos Pontifices anteactorum saeculorum in certis casibus de beneficiis in diversis mundi partibus certis personis conferendis dedisse suas strictas ordinationes et non semper tantum modo quodam precario sed potius dictatorio. Reservationum Apostolicarum systema temporibus Innocentii III. iam fuisse in vigore registra dicti Pontificis probe docent. Sufficiat hoc loco duas tantum allegare Litteras Apostolicas ab eodem Pontifice ad Episcopum Vratislaviensem (Laurentium 1207—1232) missas et postea corpori iuris canonici insertas, quae in sexta parte praesentis opusculi cum adnotationibus secundum textum Registrorum Apostolicorum factis positae sunt. (c. 27. X. de rescript. I. 3; c. 26. X. de praeb. III. 5); cf. P. VI. n⁰ 1 u. 2.

[2]) Qui enim Pontifex (c. 2. de concess. praeb. III. 7 in VI⁰) auctoritate Apostolica omnino reprobavit omnes provisiones „sub quovis modo aut forma verborum de cetero faciendas, per quas directe vel indirecte via aperiri valeat ad beneficia vacatura."

[3]) Ex numerosis exemplis, quae series Supplicationum in Archivio Vaticano asservata profert, unum hic apponatur instar plurium. Suppl. Clem. VI. t. 18 a. VIII. f. 42 t⁰. (1349 Oct. 11.) „Item supplicat Sanctitati Vestrae eadem creatura vestra episcopus supradictus (Vratislaviensis-Preczlaus), quatenus sibi uberiorem gratiam facientes eidem episcopo, ut ipse duos canonicatus et duas praebendas nec non unam dignitatem, personatum seu officium

De Legatis a latere restat tantum dicendum, illos tempore suae legationis ex dispositione iuris communis potuisse reservare suae collationi beneficia nondum vacantia et proxime vacatura cum certis limitationibus ob eam causam adiectis, ne nimis aggravarentur collatores ordinarii.[1])

Reliqui vero Legati Apostolici quamvis saltem de iure communi illis nulla in beneficiorum provisionem esset potestas, tamen praesertim tempore, quo Romani Pontifices Avenione residebant, necessario amplioribus facultatibus erant donandi, ut maiore auctoritate instructi melius ecclesiarum negotiis succurrere valerent.[2])

Sed haec quidem hactenus de iure Romani Pontificis reservandi beneficia in genere — nunc mihi quaedam disserenda sunt de principalibus Reservationum Apostolicarum divisionibus, quas inter numerandi solent reservationes generales, speciales, in corpore iuris clausae necnon extra illud corpus vagantes. Sed dictis nominibus — neque id mirum est — alii auctores alias comprehendunt reservationes. Et primum quidem Philippo Schneider[3]) assentiri non possum, qui illas tantum reservationes nominat

---

in ecclesia Vratislavien. cum cura vel sine cura etiamsi ipsa dignitas post episcopalem in dicta ecclesia fuerit maior et in Glogovien. atque Opolien. ecclesiis Vratislavien. dioecesis in singulis earum similiter duos canonicatus et duas praebendas vacantes vel proxime vacaturas simul vel successive spectantes seu spectaturas ad collationem seu provisionem etc. Episcopi Vratislavien. auctoritate Apostolica reservare ac de canonicatibus et praebendis necnon de dignitate, personatu seu officio praedictis providere communiter vel separatim personis idoneis ad hoc canonice electis singulariter singulis etiam alias beneficiatis libere valeat ac eisdem personis ipsos conferre cum acceptatione, inhibitione, decreto et clausula „anteferri" et cum „ceteris non obstantibus" consuetis et clausulis oportunis ac executoribus praedicta auctoritate Apostolica plenam et liberam concedere dignemini facultatem ut in forma. Fiat de una in qualibet etiam de dignitate in Vratislavien. R.

[1]) c. 3. de off. legati I. 15 in VI⁰. c. 9. de praeb. et dign. III. 4 in VI⁰. c. 22. l. c. Schmalzgruber l. c. I. t. 30 n. 4 Aeneas de Falkonibus l. c. p. 50 t.

[2]) Ex magna exemplorum copia unum tantum eligam. Ita v. g. Urbanus V. (Reg. Vat. t. 246 fol. 21, 25), die 1. Dec. 1363 celeberrimo illi Cardinali Aegidio de Albornoz, Episcopo Sabinensi, Apostolicae Sedes Legato, concessit facultatem providendi decem personis in decem ecclesiis cathedralibus sive collegiatis et eodem die eandem tribuit potestatem pro triginta personis in triginta ecclesiis cathedralibus vel collegiatis.

De actibus similibus a Cardinali Gentili, Apostolicae Sedis Legato, in dioecesi Vratislaviensi gestis, dum Nankerus Episcopus dictae dioecesis per tres annos et ultra Avenione morabatur cf. Cod. Dipl. Sil. t. V. p. 211 et ibidem p. VI.

Porro haud raro Pontifices suis Legatis expresse dederunt in mandatis, ut inquirerent de numero beneficiorum Sedi Apostolicae reservatorum in terris suarum Legationum. Ita ex. gr. Benedictus XII. a magistro Johanne Fabri, canonico ecclesiae Campostellan. in partibus Regni Castellae et Legionis, Apostolicae Sedis Nuntio, die 12. Martii 1335 per litteras expostulavit, ut de beneficiis spectantibus ad provisionem Apostolicam et per praelatos illarum partium illegitime collatis et de omnibus conditionibus ac circumstantiis se informaret et referret.

Reg. Vat. t. 130 n⁰ 83. „Relatione percepimus."

Eodem modo v. g. scripsit Johannes XXII. Carolo Archiepiscopo Lunden. ac dil. filiis Johanni Nyborgh de ordine fratrum praedicatorum poenitentiario ac Petro Gervasii canonico ecclesiae St. Evodii Anicien. Apostolicae Sedis Legatis „quod informent se de beneficiis quae vacant per constitutionem „Execrabilis" in Regno Daciae et rescribant".

Reg. Vat. t. 115. Fol. 127. „Auditui nostrae."

Datum Avenione Id. Oct. a. 14 (1339 Oct 15).

[3]) Die Bischöflichen Domkapitel p. 120.

generales, quae vocantur „in corpore iuris clausae" speciales vero, quae per Regulas Cancellariae Apostolicae aut vi capitis „Ad Regimen" introductae sunt. Qua enim definitione numerus reservationum generalium — mea quidem sententia — nimis restringitur ad unum tantum casum, nempe quo beneficium quoddam vacat causa mortis beneficiati, qui „apud Sedem Apostolicam" diem clausit extremum. At contra neque sententiam, quam Hinschius[1]) in medium profert, teneo, qui etiam reservationem singularum dignitatum vel beneficiorum in una determinata ecclesia erectorum, dummodo facta sit in perpetuum, generalem appellat.

Nota enim „generalitatis" — ut ita dicam — non ex reservationis perpetuitate sed, uti ipsa vox „generalis" iam satis insinuat, solummodo ex pluralitate beneficiorum eiusdem generis in universali Ecclesia vel provincia etc. existentium mihi sumenda esse videtur. Nomine „reservationis generalis" in hisce pagellis amplector illas omnes, quae habentur in casu, quo omnia beneficia eiusdem generis vacantia vel vacatura communiter sive in perpetuum sive ad tempus in universali Ecclesia sive in certa provincia, dioecesi vel determinato regno a Romano Pontifice reservantur in favorem Sedis Apostolicae. Quae definitio in totius huius tractatus cursu retinetur, ita, ut non tantum illas reservationes generales enumeratas invenias, quae a Clemente IV. usque ad Gregorium XI. pro tota datae sunt Ecclesia, sed etiam illae, quae determinata regna, provincias etc. attingunt. Specialis vero reservatio illa habetur, quae de certo beneficio sive ratione loci, qualitatis vel personae sive pro tempore sive in perpetuum decreta est. Porro reservationes in corpore iuris clausae[2]) dicuntur illae, quae continentur in Decretalibus Gregorii IX. in Libro Sexto, in Clementinis.

Denique reservationibus extra corpus iuris vagantibus adnumerantur omnes, quae inveniuntur in Extravagantibus sive Communibus sive Johannis XXII., in Regulis Cancellariae Apostolicae praecipue a Johanne XXII. usque ad Gregorium XI. editis,[3]) quaeque — praesertim quod ad saeculum XIII. et XIV attinet — in Registris authenticis Romanorum Pontificum tum Vaticanis tum Avenionensibus vel in ipso Libro Cancellariae Apostolicae (Cod. B) continentur.

Porro hoc loco praetereundo quasi celeberrimam quaestionem breviter attingere liceat, cur Romani Pontifices ad beneficiorum reservationes sive generales sive speciales processerint. Nam imprimis per hanc immediatam

[1]) l. c. III. p. 141.

[2]) Cf. Bickell, Über die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen etc. p. 47.

Phillips l. c. p. 485.

[3]) Cf. Riganti, Commentaria in Reg., Const. et Ordinat. Cancell. Apostol. — opus celeberrimum quin etiam optimum si iuris expositionem tantum respicis, si vero chronologiam magis attendis vide Ottenthal l. c. Hoc loco non omitto dicere, me verba praedictae ultimae editionis Regularum Cancellariae Apostolicae cum textu Codicis Vat. 3984 in Bibliotheca Vaticana contulisse et nonnullas variationes in quinta parte huius libelli adnotasse.

designationem personarum directe a Summo Pontifice factam optime unio membrorum Ecclesiae cum suo capite significabatur et supremum illud ius primatui annexum disponendi de omnibus beneficiis ecclesiasticis saltem in quibusdam exercebatur casibus. Deinde praeter Reservationum Apostolicarum causas ab ipsis canonistis [1]) communiter allatas, certe non ultimo loco respiciendae erunt rationes, ut ita dicam, politicae, quae turbulentis illis temporibus ad spiritualem et temporalem potestatem Romanorum Pontificum defendendam nonnumquam reservationem beneficiorum potissimum maiorum quasi necessario postulare videbantur. Et quidem Romanos Pontifices praesertim tempore, quo Avenione quasi in exsilium missi residebant, praelatos quavis ex parte omnino fideles ecclesiis cathedralibus aliisque maioribus longe distantibus praeficere debuisse extra aleam est positum. [2])

Ita e. g. Johannes XXII. omnes et singulas cathedrales et collegiatas ecclesias saeculares et regulares civitatis et dioecesis ac provinciae Ravennaten. ad biennium reservans, ipse hanc causam adducit: „ut per providentiam Sedis Apostolicae de pastoribus et praelatis in partibus disponeretur praedictis, qui Nobis et Ecclesiae Romanae devoti et fideles exsisterent et aliis scirent et possent praeesse utiliter et prodesse.“ [3])

Quae verba, etsi saepissimi occurrunt in Litteris reservatoriis Apostolicis eiusdem temporis, tamen uti merae formulae nullo modo sunt attendenda.

Nonnumquam etiam ipsi Reges occasione vacationis cuiusdam ecclesiae per Litteras speciales expresse ab ipso Romano Pontifice expetierunt reservationem unius alteriusve ecclesiae — id, quod factum est v. g. a Johanne Boemiae Rege, cum ecclesia Olomucensis vacaret pastore [4]). Econtra petitiones regiae ad Curiam Romanam directae de immediata provisione cuiusdam sedis episcopalis haud raro etiam aperte reiectae sunt, e. g. in casu, quo ecclesia Nivernensis, [5]) Johanne XXII. regnante, vacabat, tunc iura capituli, ad quod electio de iure pertinebat, expresse a dicto Pontifice firmata sunt.

---

[1]) Cf. Wernz l. c. II. n. 328 et alios plurimos.

(Negligentia vel ipsa fraus collatorum ordinariorum — iniusta et aperta vis potestatum saecularium — necessitas providendi pauperibus clericis vel officialibus Curiae Romanae benemeritis — periculum animarum.)

[2]) Quod studium Christi vicariis per se nullo modo ita in opprobrium vertendum est, quasi arctiore illo vinculo cum pastoribus ab ipsis constitutis inito tantum ad ampliandam suam potestatem temporalem sint abusi cf. Hinschius l. c. III. p. 118. Multo minus Romani Pontifices invidia in potestatem archiepiscopalem ducti Reservationes introduxerunt Apostolicas uti Munch l. c. p. 37 opinatur, quia omnis iurisdictio metropolitanorum ex uno fonte i. e. potestate Apostolica R. Pontificum profluit. Cf. c. 3. in Extrav. Comm. I. 3. Cf. etiam P. Aldinger, Die Neubesetzung der Deutschen Bistümer unter Papst Innocenz IV. p. 192.

[3]) Reg. Vat. t. 113 f. 174t⁰ n⁰ 1031.
Cod. B. p. 69—70.
P. VII. n⁰ 8.

[4]) Reg. Vat. t. 113 fol. 41⁰ n⁰ 331, 333.
P. VII. n⁰ 1, 2, 3.

[5]) Reg. Vat. t. 117. n⁰ 563.
P. VII. n⁰ 4, 48.

Attamen Curiae Romanae officiales nonnunquam etiam per media non semper honesta in conficiendis Litteris reservatoriis modum transiisse nemo negabit, qui historiam ecclesiasticam dictorum temporum satis callet — nam quaevis res — per se optima — in detrimentum vergit, si humana instigante fragilitate per excessum peccatur.[1])

---

[1]) Huiusmodi iustae querimoniae ab ipsis Pontificibus prolatae inveniuntur ex. gr.:

c. un. de praeb. 3. in Extrav. Joh. XXII.

Reg. Aven. Bened. XII. t. 1. fol. 376t °n° 35 = Cod. B. p. 94—97 („Experimento dedicimus.")

P. VII. n° 19 cf. deinde:

Constitutionem „Superni dispositione" (Grandjean l. c. n° 1103. — 1303 Nov. 6) quae affert verba omnino iusta sc. „quod ex collationibus et reservationibus per Bonifatium VIII. factis vel per alios auctoritate sua varia et diversa scandala poterant evenire et tam praelati quam ecclesiae per orbem diffusi se reputabant in hoc multipliciter aggravatos ac propterea dictorum praelatorum et ecclesiarum relevare onera et super huiusmodi scandalis prout ad nostrum spectat officium salubriter providere volentes, omnes collationes . . . . . cassamus etc."

Vide etiam Pastor Gesch. d. Päpste I³ p. 69 sqq.

Phillips l. c. V, 473.

Lingard, Gesch. v. England III, 117 sqq.

Pohle, in Wetzer und Welte's Kirchenlexikon V. p. 1292 sqq. (Art. Grosseteste.)

III.

Unicae reservationis generalis in corpore iuris clausae explicatio. (1265—1305.)

Unica Reservatio generalis in corpore iuris clausa — licet quoad personas cursu temporis diversimode extensa sit — declaratur illa, quae locum habuit in casu, quo aliquod beneficium vacabat causa mortis beneficiati apud Sedem Apostolicam. Quae quidem Reservationum Apostolicarum species primum a Clemente IV. die XXVII. Aug. 1265 per modum decreti generalis, quod incipit: „Licet ecclesiarum“[1]) introducta est.

Hoc decretum pluribus de causis maximi est momenti.

Imprimis enim in dicto capite declaratur plenariam dispositionem circa ecclesias, dignitates, personatus aliaque beneficia ecclesiastica pertinere ad Romanum Pontificem ita, ut non solum eiusmodi beneficia vacantia possit de iure conferre sed etiam ius tribuere in ipsis vacaturis.

Quo iure circa liberam omnium beneficiorum totius orbis catholici collationem stabilito, ipse Romanus Pontifex ad antiquam recurrit consuetudinem conferendi ecclesias,[2]) personatus, dignitates ac beneficia „apud Sedem

[1]) = c. 2. de praeb. III. 4 in VI⁰.
= Reg. Vat. t. 32 n⁰ 211.
Jordan. l. c. n⁰ 212 (sine textu).
Potthast. Reg. Pont. n⁰ 19326.
Verba dicti capitis, prout inveniuntur in Registris Vaticanis plane concordant cum textu corporis iuris canonici, nisi quod in Registris sic legimus: „statuimus, ut ecclesias, personatus dignitates et beneficia etc. . . . non praesumat. Datum Perusii VI. Kl. Sept. a. I.
Cf. etiam:
Eubel, Zum päpstlichen Reservations- und Provisionswesen. Röm. Quartalschr. t. VIII. p. 169 sqq.
Thomassinus l. c. P. II. l. 1. c. 48.
Phillips l. c. V, 499 sqq.
Hinschius l. c. IV, 123 sqq.

[2]) Nomine „ecclesiae“ hoc loco episcopatus et abbatias non fuisse comprehensas iam quasi communis erat sententia, etsi adhuc certe probari non potuit.
Cf. Gloss. ad V. „dignitatum.“
Phillips l. c. p. 398 sqq.

Apostolicam"[1]) vacantia. Dictam vero *consuetudinem* laudabilem Clemens IV. nunc auctoritate Apostolica approbavit et inviolabiliter voluit observari. Nunc ergo praefata *consuetudo*[2]) transiit in *ius commune*. Porro Clemens IV. in conferendis huiusmodi beneficiis omnem concurrentem auctoritatem ordinariam, excludendo irritavit omnes Litteras quascumque generales vel speciales ab Apostolica Sede super aliquorum provisione libere facienda datas „nisi ei (i. e. collatori inferiori) esset super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus *specialis et expressa* ab ipso Pontifice summa auctoritas attributa". In fine dicti capitis reperimus clausulam consuetam facta in contrarium irritantem.

Sed *Gregorius* PP. X. per constitutionem, quae incipit „*Statutum*"[3]) in concilio generali Lugdunensi II. promulgatum illud decretum Clementis IV. ita moderatus est, ut collatores ordinarii vel ipsis absentibus eorum vicarii generales cum mandato speciali instructi huiusmodi beneficia et dignitates in Curia vacantes *post mensem* „a die, quo dignitates seu beneficia ipsa vacaverint numerandum" conferre possint; quod temporis spatium sane non in odium sed in *favorem* ecclesiarum statutum erat, ne diutius cum animarum detrimento vacarent. Praeterea spatium illud non erat computandum a tempore, quo huiusmodi vacationes Romae denuntiabantur, sed quo illae de facto habebantur causa mortis beneficiati, dictumque tempus currebat etiam inscio et invito Romano Pontifice.

Sane Romanus Pontifex etiam post terminum elapsum moram potuit purgare, dummodo res adhuc esset integra i. e. ordinarius loci de beneficio post mensem nondum disposuisset. Eodem in capite Gregorius X. omnes procuratorum[4]) episcopalium in Urbe degentium fraudes et malitias[5])

Eubel l. c. p. 173.
Hinschius l. c. p. 128.
König, Die päpstl. Kammer unter Clemens V. u. Joh. XXII. p. 1.

Nunc vero post completam publicationem regestorum dicti Pontificis non desunt huius rei testimonia satis firma atque perspicua. Exemplo sit expressa declaratio ipsius Clementis IV. data die 11. Junii 1266 priori et conventui mon. Blangiacensis (Jordan l. c. n⁰ 319). Cf. etiam n⁰ 706, ubi Pontifex sedem Paffensem vacantem per mortem Episcopi *in curia* defuncti *specialiter* sibi reservat „hac vice" ad relevandam praefatam sedem a noxiis.

[1]) Vacare „apud Sedem Apostolicam" idem est ac „in curia."
Cf. Gloss. ad V. „in curia" c. 3. III. 4 in VI⁰.
Pirhing l. c. n. 327.
Garcias l. c. n. 68, 69.

[2]) Jam temporibus Innocentii PP. III. mortem in curia habitam fuisse causam Reservationis Apostolicae dilucide apparet iam ex c. 26. X. de praeb. III. 5. supra memorato ad ecclesiam Vratislaviensem pertinente. Quo enim in capite verba illa „apud Sedem Apostolicam" spectant ad partes decisas. cf. P. VI. n⁰ 2.

[3]) c. 3. de praeb. 4 in VI⁰ = c. 21. Conc. Lugd. II. (1274. Nov. 1).
Jean Guiraud l. c. I. n⁰ 576 (de praebendis et dignitatibus p. 247).

[4]) Cf. Gloss. ad V. „per se ipsos".
Breslau, Urkundenlehre I. p. 681.

[5]) Sc. praeventionem ex parte procuratorum Romae degentium, qui omnimodo beneficiis in terris suorum ordinariorum vacantibus providere studebant, antequam ipse Pontifex certior factus sit de eorum vacatione.

excludens declaravit, beneficia et dignitates antedictas post mensem elapsum tantum ab Episcopis vel, ipsis in remotis agentibus, per suos vicarios generales in eorum dioecesibus exsistentes cum mandato speciali instructos conferri posse. Notandum tamen remanet, moderationem iuris a Clemente IV. stabiliti in hoc capite expressam spectasse ad beneficia et dignitates sine discrimine, ergo etiam ad electivas vacantes causa mortis in Curia, non vero ad reservatas forte ex alia causa.[1])

Deinde Bonifatius PP. VIII. die 5. Maii 1295 per constitutionem, quae incipit „Piae sollicitudinis"[2]) renovando c. „Licet ecclesiarum" a Clemente IV. editum provisioni Sedis Apostolicae reservavit omnes dignitates, personatus, praebendas, ecclesias aliaque ecclesiastica beneficia, apud Sedem Apostolicam intra unum mensem a data Litterarum hactenus[3]) in Curia vacantia et in posterum vacatura.

Praeterea Bonifatius VIII. praefatum c. „Licet ecclesiarum" de beneficiis vacantibus „apud Sedem Apostolicam" per c. „Praesenti"[4]) ita extendit, ut beneficia, quae Legati aut Nuntii Sedis Apostolicae vel quivis alii ad Romanam Curiam venientes vel etiam ab ipsa recedentes obtinebant, si dictae personae non tantum in Curia sed etiam „in locis vicinis ipsi Curiae" morerentur Romano Pontifici omnino reservata esse declararet. Porro si quis curialis etiam Sede Apostolica vacante peregrinationis, infirmitatis aut recreationis seu alia quavis causa ad locum Curiae vicinum [i. e. ultra duas dietas[5]) legales a Curia non distantem] se conferret ibique moreretur, beneficia omnia ipsi collata essent reservata, dummodo ne in loco supradicto domicilium nutriret.

Si quis vero, Curiae membrum non existens, in loco, quo Curia tempore suae mortis versaretur haberet domum originis[6]) vel continuum domicilium, eius beneficia nullo modo essent reservata, quia alias loco, ubi Papa moraretur, grave illatum fuisset praeiudicium. In dicto capite Bonifatius VIII. etiam commemoravit casum, quo Curiam de loco ad locum transferri contingeret. Si enim curiales Curiam sequentes vel in loco unde illa recessit forsitan remanentes infirmi morerentur, eorum beneficia essent reservata „quantuncunque locus, ubi decedunt, ab ipsa Curia sit remotus".

---

[1]) Cf. Pirhing l. c. n⁰ 330 sqq.

[2]) c. 1. in Extrav. Comm. III. 2.
Digard l. c. n⁰ 881 (sine textu).

[3]) Inde patet c. „Licet ecclesiarum" tempore electionis Bonifatii VIII. (1294 Dec. 24) non ab omnibus in quocumque casu fuisse observatum. Attamen dictus Pontifex omnia facta contra ius prudenter non voluit irritare, sed illa tantum, quae inde ab ineunte mense Aprili 1295 acciderunt et in posterum forte acciderent.

[4]) c. 34. de praeb. III. 4 in VI⁰.

[5]) = XL milliaria Italica = iter duorum dierum cf. Glossam ad V. „legales". Reiffenstuel l. c. n⁰ 453.

[6]) Cf. Glossam ad V „originis."

Hoc loco etiam generaliter notandum erit Curiam Romanam non tantum ibi praesentem habitam esse, ubi Papa ipse morabatur, sed — quod ad reservationem beneficiorum vacantium apud Sedem Apostolicam attinet — etiam ubi aderat Cancellaria Apostolica, etsi Papa forte alibi morabatur.[1]) Denique in hoc capite curiales dicuntur omnes servientes Romano Pontifici, Cardinalibus aut officialibus Romanae Curiae aut qui propter negotia propria vel aliena in Curia tractanda Romae versabantur.

Insuper nullius beneficium iudicabatur „vacans in Curia", nisi quis praeter servatas conditiones supradictas ante mortem illud re vera acceptaverat, mera collatio cuiusdam beneficii etiam quoad effectum reservationum non sufficiebat, quia nullus dicitur beneficiatus, nisi de facto etiam acceptavit collationem de ipso factam.

Idem Bonifatius VIII. per c. „Si Apostolica" [2]) constitutionem maxime salutarem edidit circa ecclesias parochiales et alia beneficia curata vacantia iu Curia tempore vacationis ipsius Sedis Apostolicae.

Si enim cc. „Licet" et „Statutum" in quovis casu remansissent in suo vigore, praesertim beneficia curata et reservata Sede Apostolica vacante facile debuissent maximam capere animarum detrimentum; nam Episcopi vi Reservationis Apostolicae carebant iure providendi de huiusmodi beneficiis curatis, Pontifex vero, qui hoc iure uti potuit, nondum aderat; exspectanda erat nova electio Summi Pastoris, quae ob temporum iniurias haud raro satis diu differrebatur. Quare praefatus Bonifatius VIII. animarum saluti prospiciens collatoribus ordinariis in casu, quo Sedes Apostolica vacabat, liberam dispositionem de huiusmodi beneficiis alias reservatis restituit.

Item ordinavit, quod, si huiusmodi beneficia curata, Romano Pontifice adhuc regnante vacare contingeret, de quibus usque ad ipsius mortem ab ipso Pontifice nullo modo esset dispositum, collatores ordinarii libere ad eorum provisionem procedere possent, quamvis mensis ille praescriptus adhuc nondum esset elapsus.

Sane etiam hoc loco ante oculos habendum est, moderationes praedicti capitis „Si Apostolica" respicere tantum casus, quo beneficia curata vacabant in Curia ex causis in praecedentibus capitibus allatis, minime vero forte attingere beneficia huiusmodi devoluta ad Sedem Apostolicam ob negligentiam collatorum ordinariorum.

Denique notandum restat de aliis beneficiis non curatis reservatis Episcopos de illis Sede Apostolica vacante disponere non potuisse. Primum eligendus erat novus Pontifex, qui intra mensem integrum potuit illa conferre.

---

1) Cf. Pirhing l. c. n. 334.

2) c. 35. de praeb. III. 4 in VI⁰.

Ultimo loco Clemens V. per c. „Etsi in temporalium"[1]) pro toto sui pontificatus tempore et non amplius sibi primum generaliter reservarit patriarchales, archiepiscopales, episcopales ecclesias, monasteria, prioratus et quoslibet personatus, dignitates vel officia, necnon — ut antecessores sui — canonicatus, praebendas, ecclesias cum cura vel sine cura et alia quaelibet beneficia ecclesiastica universa, quae apud Sedem Apostolicam vacarent ad praesens vel essent vacatura in futurum. Praeter unicam hanc reservationem generalem in corpore iuris clausam cum dictis moderationibus his temporibus multae aliae in diversis Litteris Apostolicis inveniuntur, de quibus nunc disseritur.

1) c. 3 in Extrav. Comm. III. 2. Quod quidem decretum in ipsis Registris dicti Pontificis reperire non potui — Friedberg (Corp. Jur. Can.) in fine dicti capitis ponit: Datum Burdegalae II. Kal. Aug. Pont. nostri Ao. I. (1300). Qui tamen annus certe non 1300 sed potius 1305 erit.

IV.

Litterae Apostolicae reservatoriae generales extra corpus iuris vagantes a Clemente IV. usque ad Johannem XXII. emissae. (1265—1316.)

Jam Clemens PP. IV. die 1. Julii 1265 Ottobono Flisco[1]) tituli S. Adriani Diacono Cardinali in partibus Angliae, in regno Scotiae ac in Wallia et Iberia „plenae legationis" officium obtinenti scripsit,[2]) se archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum praelatis necnon capitulis, conventibus et collegiis monasteriorum et ecclesiarum tam cathedralium quam aliarum dicti regni Angliae mandasse, ne ad electionem archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum, decanorum aut aliquorum aliorum vel ad provisiones aut collationes de aliquibus personatibus vel dignitatibus faciendas procedere quoquomodo praesumerent, antequam mandatis suis sc. Legati et Ecclesiae Romanae paruissent. „Nos enim interim electiones, collationes et provisiones huiusmodi donationi Apostolicae reservantes, decernimus etc."

Quae reservatio generalis in regno Angliae tempore legationis praedictae sine dubio maxima ex parte facta est ex causis politicis,[3]) ut per praelatos auctoritate Apostolica non factionum vi electos facilius pax et tranquillitas restitueretur in regno Angliae „gravi nimium turbatione" lacerato. Praeterea eidem Legato die 5 Maii 1265[4]) concessa est facultas

---

[1]) Qui postea (1276 Julii 11.) electus est Rom. Pontifex (Adrianus V.).

[2]) Reg. Vat. t. 32 n⁰ 117.
Jordan l. c. n⁰ 118.

[3]) Hefele, Conciliengeschichte VI p. 76 sqq.
Lingard l. c. 125 sqq; 147 sqq.

[4]) Reg. Vat. t. 32 n⁰ 70.
Jordan l. c. n⁰ 72.
De aliis facultatibus circa beneficiorum provisionem eidem Legato datis
Cf. Reg. Vat. l. c. n⁰ 71 = Jordan l. c. n⁰ 73
n⁰ 72 = „ „ „ „ 74.

providendi suis clericis de canonicatibus in ecclesiis suae legationis tam cathedralibus quam aliis vacantibus ad praesens vel „quam primum ad id obtulerit se facultas“ accedente tamen assensu eorum, ad quos alias praebendarum collatio pertineret.

Similis Reservatio generalis pro territoriis regni Siciliae[1]) ab eodem Romano Pontifice facta est, cum Radulfum de Chevrières Cardinalem Episcopum Albanensem tamquam alteram lateris sui partem, plenae legationis officio praeditum, in dictum regnum „attritum oppressionibus, exinanitum opibus, attenuatum incolis, eorundem regnantium inhumanitate lacerum et immani saevitia inhumaniter laceratum“[2]) mitteret. Etiam in his terris Sedes Apostolica inhibuerat „ne capitula et conventus cathedralium et aliarum conventualium ecclesiarum in regno Siciliae vacantium, per electionem, postulationem aut nominationem sibi de praelatis praesumerent providere.[3])

Eodem modo iam antea[4]) patriarcha Aquilegiensis, Legati Apostolici munere in partibus Lombardiae fungens, auctoritate Apostolica universis capitulis, collegiis necnon conventibus ecclesiarum tam cathedralium quam aliarum et monasteriorum, quae Frederico secundo Romanorum Imperatori „eiusque filiis et fautoribus“ adhaerebant interdixit, ne in casu vacationis praedictorum ecclesiarum et monasteriorum illis per electionem, postulationem vel nominationem quorumcunque praelatorum providerent vel ad receptionem canonicorum clericorum, monachorum aut conversorum procederent. Cum autem aliquot capitula, collegia necnon conventus ex praefatis contra hanc Reservationem Apostolicam temere agere ausi fuissent, Clemens IV. Philippo, archiepiscopo Ravennaten., quem in Aquilegien. et Graden. patriarchatibus ac in Ragusina, Ravennaten., Mediolan. et Januen. civitatibus, dioecesibus, provinciis necnon in Lombardia, Romaniola et Marchia Tervisina Legatum[5]) Apostolicum constituerat, dedit mandatum, ut omnibus personis contra ius assumptis omnino amotis, praelaturis, dignitatibus, praebendis aliisque beneficiis provideret „personis idoneis et Ecclesiae Romanae devotis.“[6]) Eodem enim tempore infaustum illud certamen

---

1) Jordan l. c. n⁰ 257 (1266 Febr. 15.).

2) Carolus, comes Andegavensis, postquam in proelio ad Beneventum (1266 Febr. 6.) feliciter contra Manfredum, principem Tarentinum, regni Siciliae usurpatorem, commisso victor evasit, a Pontifice investituram dicti regni acceperat.

Cf. Raumer: Gesch. d. Hohenstaufen IV. p. 481 sqq.

3) Cf. Jordan l. c. n⁰ 309 (1266 Maii 28.).

4) Ibidem l. c. n⁰ 631 (1268 Maii 28.).

5) Cf. Jordan l. c. n⁰ 487 (1267 Julii 8.).

6) ibidem l. c. n⁰ 631.

Similiter et Philippus archiepiscopus Ravennaten. accepit facultatem instituendi in ecclesiis cathedralibus et aliis collegiatis suae legationis, in quibus auctoritate Apostolica adhuc nullum fecerat recipi, clericos idoneos et providendi eis de praebendis et personatibus vel dignitatibus etiam curatis „si in eisdem ecclesiis vacant vel quam cito ad id se facultas obtulerit“ cum assensu tamen collatorum ordinariorum.

Ibidem l. c. n⁰ 490 (1267 Maii 15.).

inter Imperium et Sacerdotium iam diu ortum, Ecclesiam et Imperium pariter labefactans, per ruinam et mortem Conradi († 1268 Oct. 29.) tristissimum et magnopere deplorandum habuit exitum.[1])

Gregorius X. praeter iam dictum c. „Statutum" (1274 Nov. 1.) nullam edidit generalem beneficiorum reservationem; in certis casibus particularibus vero de quibus in hoc libello specialiter non disseritur iam occurrit applicatio capitis „Licet ecclesiarum[2]) vel devolutio provisionis ad Sedem Apostolicam causa resignationis[3]) per procuratorem cum mandato speciali factae in manibus Papae, vel vacatio beneficiorum in Curia causa promotionis vel potius consecrationis[4]) de mandato Apostolico impensae vel cessionis in manibus[5]) Pontificis.

Neque a Johanne XXI. neque a Nicolao III. adhuc ulla nota est generalis reservatio specialiter facta in territoriis quibuslibet. Ita etiam Gerardus[6]) Cardinalis, Apostolicae Sedis Legatus, a Nicolao III. ad civitatem Tholosanam missus, „pro tractando negotio pacis inter Franciae et Castellae reges" accepit tantum consuetas facultates providendi suis clericis de beneficiis cum nota: „si vacat ad praesens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas." Specialium reservationum numerus v. g. ecclesiarum cathedralium erat maior, de quibus tamen hoc loco non est sermo.[7]) Causa mortis Episcopi in Curia tempore Nicolai III. una tantum vacabat ecclesia[8]) — nisi forte post completam editionem Regestorum dicti Pontificis plures huiusmodi reservationes enotescant.

A Martino IV. Reservationes beneficiorum generales factae sunt pro regno Siciliae[9]) ita, ut provisio omnium cathedralium ecclesiarum, quae a praeteritae rebellionis initio in insula Siciliae vacaverant et vacarent quamdiu eadem turbatio perduraret dispositioni Sedis Apostolicae esset reservata.

Eodem modo idem Papa Martinus dispositioni Sedis Apostolicae reservavit „provisiones omnium ecclesiarum cathedralium regni Aragoniae ac aliarum in terris eidem regno subiectis consistentium, quas ex tunc vacare contingeret"[10]). Idem etiam de ecclesiis cathedralibus regni Siciliae

---

1) Cf. Raumer l. c. IV, p. 574 sqq.

2) Cf. Guiraud l. c. n⁰ 93.

3) Ibidem n⁰ 99.

4) „ n⁰ 131, 139, 244.

5) „ n⁰ 414.

6) Cf. Gay l. c. n⁰ 273, 287, 288.

7) Cf. Cadier l. c. n⁰ 46, 165, etc.

8) Gay l. c. n⁰ 214.

9) Langlois l. c. n⁰ 54—59 (omnes praelaturas insulae Siciliae).
Grandjean l. c. n⁰ 233.

10) Langlois l. c. n⁰ 183, 2433—2438 (provisio omnium ecclesiarum cathedralium Aragoniae et Valentiae regnorum et comitatus Barchinonensis). Ad explicationem causarum, quae huiusmodi reservationes generales tunc temporis postulare videbantur in memoriam obiter tantum revocare satis erit cruentum illud certamen in insula Siciliae ortum inter Carolum, ducem Andegavensem et Petrum III. Aragoniae regem. (Vesperae dictae Sicilienses.)

Cf. Instrumentum depositionis Petri regis Aragonum. Magn. Bull. Rom. ed. Taur. IV. p. 54 sqq

„durante turbatione“ vacaturis ab Honorio IV. statutum erat.[1]) Successor vero eius Nicolaus IV. novas Reservationum generalium Constitutiones non adiecit, factas tamen a praedecessoribus suis de partibus Siciliae et Aragoniae executioni mandavit.

Bonifatius VIII. praeter moderationes ad c. „Licet ecclesiarum“ iam supra allatas et praeter c. „Sancta Romana Ecclesia“[2]), in quo provisio ecclesiarum patriarchalium sc. Constantinopolitanae, Alexandrinae, Antiochenae necnon Hierosolymitanae — pro tempore, quo dictae ecclesiae essent in manibus infidelium vel schismaticorum, — declaratur reservata Sedi Apostolicae, expresse ordinavit, quod provisiones ecclesiarum tam cathedralium quam regularium regni Franciae,[3]) „si quae forsitan tunc vacabant vel cum eas vacare contingeret“ spectarent ad suam et Sedis Apostolicae dispositionem; quarum reservationum causas facile intelligimus si notissimas illas contentiones inter dictum Pontificem et Philippum IV. cognomine Pulchrum Francorum regem animo perpendimus.[4])

Porro idem Pontifex beneficia ecclesiastica — si quae tunc vacarent vel cum ea vacare contingeret — generaliter in civitate vel dioecesi Lucan.[5]) duxit donationi Apostolicae reservanda, ut aliquibus clericis subvenire posset.[6])

Benedictus XI., die 6. Nov. 1303 per constitutionem „Superni dispositione“[7]) omnes gratias exspectativas a praedecessore suo concessas ad beneficia vel officia ecclesiastica, in quibus ius in re nondum erat quaesitum, solemniter revocavit. Qui tamen Pontifex, quamquam novas constitutiones reservatorias neque circa insulam Siciliae neque circa regnum Franciae publicavit, tamen nonnullas a praedecessoribus suis iam factas voluit observari,[8]) cum v. g. in regno Siciliae priores Reservationum Apostolicarum causae i. e. pertubationes quaelibetque

---

[1]) Cf. Prou l. c. n⁰ 490 (1286 Jan. 2.) vide etiam provisiones et ordinationes tam quoad spiritualia quam temporalia pro bono regimine regni Siciliae. Mag. Bull. Rom. l. c. p. 70 sqq.

[2]) c. 3. in Extrav. Comm. I. 3.

[3]) Grandjean l. c. n⁰ 295, 1256.
Drumann, Gesch. Bonif. VIII. I, 160 sqq. II, 2 sqq.

[4]) Sed nonnunquam dictus Pontifex petitam personarum nominationem ad maiores quasdam ecclesias Philippo regi indulsit; v. g. die 22. Febr. 1298 Archiepis Narbonen. et Dolen. ac Antissiodoren. ecclesiarum dedit mandatum, ut ipsi vel duo aut unus eorum „in singulis cathedralibus et collegiatis ecclesiis regni Franciae, Lugdunensi et Vivariensi ecclesiis, quae de regno ipso non esse se asserunt, dumtaxat exceptis, singulis personis idoneis, quas rex ipse duxerit nominandas de singulis canonicatibus ecclesiarum ipsarum et praebendis nulli de iure debitis, si vacant in ipsis ecclesiis vel quam cito vacarent“ auctoritate Apostolica providere sollicite curarent.
Cf. Digard l. c. n⁰ 2417 (1298 Febr. 9).
„ „ „ „ n⁰ 2419 (22. Febr e. a).

[5]) Grandjean l. c. n⁰ 3216.

[6]) Specialem insuper direxit constitutionem contra dantes aliquid vel promittentes aut recipientes pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam. Mag. Bull. Rom. l. c. p. 126 cum nota adiuncta. Idem Pontifex publicavit etiam processum contra offendentes venientes et recedentes ab Urbe l. c. p. 158.

[7]) Grandjean l. c. n⁰ 208, 1103 (1303 Nov. 6).

[8]) Ibidem n⁰ 233, 234, 449, 295, 1123.

gravamina perdurarent; de reservationibus vero ecclesiarum cathedralium et regularium in regno Franciae consistentium a praedecessore suo factis, die 18. Aprilis 1304[1]) declaravit: „Nos autem celsitudinis regalis obtentu, pro cuius parte super hoc Nobis exstitit supplicatum,[2]) reservationem, inhibitionem et decretum huiusmodi, Apostolica auctoritate revocamus"; qua in constitutione non modo liberam electionem capitulis concessit sed etiam ordinavit, ut provisiones et confirmationes electionum post reservationem Apostolicam in dictis ecclesiis factae plenam obtinerent firmitatem, dummodo alias collatores processissent canonice. Eodem enim tempore benevolentia studiumque Benedicti XI. se reconciliandi quam primum cum Philippo Rege Romanum Pontificem ad hunc lenitatis pacisque gradum adduxit.

Clementis V. registris diligenter excussis circa beneficiorum reservationem[3]) sequentia decreta in medium proferre possum. Imprimis ex Litteris[4]) dicti Pontificis ad Episcopum Elien. die 26. Sept. 1313 directis luculenter patet eundem Pontificem — nescio quo anno — speciali decreto nullibi adhuc reperto — edidisse constitutionem de reservatione quorumcunque beneficiorum per obitum cardinalium, capellanorum et aliorum suorum officialium ubicunque cedentium vel decedentium.

Insuper omnia beneficia cuiuscumque beneficiati per promotionem ad Episcopatum post consecrationis[5]) munus ei impensum apud Sedem Apostolicam in quovis casu omnino dispositioni Pontificis erant reservata, nisi iustis de causis huiusmodi promoti impetrarunt super hoc specialem quandam dispensationem.[6])

---

[1]) Ibidem l. c. n⁰ 1256.

[2]) Ibidem l. c. n⁰ 1259 (1304 Maii 13) ubi Bened. XI. absolvit contumaces ex regno Franciae a Bonif. VIII. frustra ad Sedem Apostolicam citatos sc. „archiepiscopos, episcopos, capitula eccl. cath. regni Franciae, doctores in theologia et magistros in iure can. et civili de regno eodem."

[3]) Qui Pontifex, cum iam ante suae benedictionis et coronationis solemnia quasdam Litteras de provisionibus et reservationibus conficiendas mandasset, die 26. Februarii 1307 auctoritate Apostolica aperte declaravit contra eos, qui huiusmodi Litteras impugnare non verebantur, „ipsas exsistere validas plenamque habere roboris firmitatem." (Reg. Clementis PP. V. n⁰ 2264.)

[4]) Ibidem n⁰ 9781; 10268.
Ad reservationem beneficiorum capellanorum Apostolicorum spectant n⁰ 7658; 3733.
" " " notariorum n⁰ 7868.

[5]) Ibidem n⁰ 8254 9759 10 053
8932 9760 10 126
8960 9799
9149 9574
Consule etiam Wernz l. c. II. n⁰ 387.

[6]) Ibidem n⁰ 8138. 9155. 10 101.

Idem dicendum est de resignationibus [1]) translationibus [2]) et permutationibus [3]) factis apud Sedem Apostolicam sive in manibus Pontificis.

Porro hic non praetereundum esse censeo — quamvis ad finem huius libelli directe non pertineat — commemorare, eundem Pontificem aliis quoque personis etiam laicis, nimia forte qua par erat inclinatione ductum, condonasse iura in beneficia ecclesiastica exercenda. Ita mandavit [4]) in pontificatus sui exordiis Episcopis regni Franciae, ut in singulis ecclesiis cathedralibus et collegiatis dicti regni singulas personas, quas Philippus rex nominavisset, recipi facerent in canonicos, adiuncta insuper declaratione, quod idem rex iterare etiam posset huiusmodi nominationem si persona primo loco designata acceptare gratiam noluisset.

Eodem modo ad instantiam Caroli regis Siciliae Episcopo Foroiulien. [5]) concessit facultatem providendi personis idoneis, quas idem rex duceret nominandas de beneficiis cum vel sine cura, quorum omnium proventus ducentarum librarum Refortiatorum secundum taxationum decimae valorem annuum non excederent, spectantibus communiter vel divisim ad collationem quorumcunque archiepiscoporum, episcoporum, abbatum et aliarum personarum ecclesiasticarum exemptarum et non exemptarum, si in civitatibus et dioecesibus ac provinciis Arelaten., Aquen. et Ebredunen. consistentibus infra Provinciae et Forcalquerii comitatus ad eundem regem spectantes tunc vacarent vel cum ea vacare contingeret. Porro Valentin. et Tirasonen. Episcopis dedit facultatem [6]) ad quinquennium conferendi omnia beneficia cum cura vel sine cura etiamsi dignitates vel personatus aut officia exsisterent, ad clericos domesticos, familiares et commensales Johannis, filii Jacobi regis Aragonum, capellani Summi Pontificis spectantia et quocumque modo vacantia, personis idoneis, quas idem Johannes duceret nominandas.

Deinde Litterae [7]) ad Helye Talayrandi canonicum ecclesiae S. Frontonis Petragoricen. sedente Clemente V. missae testificantur, omnia beneficia Nuntiorum, qui pro certis negotiis Ecclesiae Romanae specialiter erant missi, in quibuscumque locis eundo seu morando vel redeundo decedentium vacantia ab eodem Pontifice fuisse reservata Sedi Apostolicae. Insuper

---

[1]) Ibidem nº 9483 9702 10 219 Cf. etiam Gillmann, Die Resignation der Bene-
9503 9731 10 229 fizien in Archiv f. K. Kirchenrecht LXXX, 670 sqq.
9516 9734 10 258
9519 9745 10 259
9524 9746 10 260
9584 9857 10 261
9667 10085.

[2]) Ibidem nº 9271.

[3]) = nº 10 134.

[4]) = nº 966. (sine data) 9301.

[5]) = nº 7412 (1311 Aug. 16).

[6]) = nº 9449 (1313 Maii 15).

[7]) = nº 3708.

ex speciali gratia haud raro Nuntiis suis ad diversas mundi partes ablegatis permisit, ut beneficia ab ipsorum capellanis possessa causa mortis vel cessionis vacantia conferrent personis idoneis ab ipsis Nuntiis eligendis.

Ita v. g. concessit Petro[1]) Episcopo Sabinensi, Legato Apostolico, ad Angliae, Scotiae, Iberniae et Walliae partes pro urgentibus et arduis negotiis misso, potestatem conferendi beneficia, quae per obitum vel cessionem capellanorum suorum cum ipso iter agentium, vacare contingeret donec ad Curiam reverteretur.

Item Arnaldum[2]) Episcopum Sabinen., Apostolicae Sedis Legatum ad Lombardiam, Tusciam aliasque partes et provincias directum ditavit facultate providendi in viginti quatuor ecclesiis cathedralibus vel aliis collegiatis infra legationis suae terminos constitutis ab ipso eligendis personis idoneis, etiam alias beneficiatis, de canonicatibus dictarum ecclesiarum et praebendis vacantibus vel vacaturis in posterum.

Item ex Litteris ad Hugonem Geraldi[3]), decanum ecclesiae de S. Aredio Lemovicen. dioecesis, missis cognoscimus, eundem Pontificem indulsisse Petro Episcopo Praenestino ius conferendi sibi ipsi omnes prioratus, praeposituras, personatus, dignitates et quaecumque alia beneficia ecclesiastica in civitate, dioecesi vel provincia Bituricen., — Caturcen. et Ruthenen. civitatibus et dioecesibus dumtaxat exceptis — vacantia vel quam primum etiam apud Sedem Apostolicam vacatura infra spatium unius mensis post vacationis cognitionem ab ipso acceptata, quorum fructus mille librarum bonorum Turonensium parvorum annuum valorem non excederent.

Ceterum notandum est, Clementem V. omnia beneficia in regnis et terris Castellae, Aragoniae, Portugaliae et Maiorcarum regum extra tamen regnum Franciae consistentia ad dispositionem Ordinis Militiae Templi Jerosolimitani ante illius abrogationem pertinentia sibi et Sedis Apostolicae ordinationi reservasse.[4])

Quare paulo post Concilium Viennense celebratum multae occurrumt collationes Summi Pontificis factis super huiusmodi beneficiis.[5])

---

1) Ibidem n⁰ 2248.
2) „ n⁰ 7557, 7581.
3) „ n⁰ 8033 (1312 Maii 23).
4) „ n⁰ 9984 (1312 Dec. 31).
5) „ n⁰ 9860 9865 9871 9882
9861 9866 9879 9883
9862 9869 9880 9884
9863 9870 9881 9886
9895

Vi specialium reservationum idem Pontifex magnum numerum sedium episcopalium suae et Sedis Apostolicae ordinationi reservavit.

Ibidem n⁰ 4998 6323 9270 9966
5003 7547 9249 10326 etc.
5023 8926 9713

Idem dicendum est de monasteriis.

Ibidem n⁰ 5110, 5386, 6475, 7513 etc.

De permultis gratiis specialibus pro personis privatis concessis in hoc libello non est sermo.

Denique non supervacaneum esse arbitror generatim animadvertere, Clementem Pontificem minime fugisse, quod iam ab initio sui pontificatus nimium indulsisset petentibus ab ipso gratias exspectativas. Huius rei testimonium satis clarum exhibent Litterae[1]) die 26. Mart. 1310 Avenione conscriptae ad universos archiepiscopos et episcopos, abbates, priores, decanos, archidiaconos et alios ecclesiarum tam saecularium quam regularium praelatos et capitula et conventus infra regnum Franciae constitutos missae.

Quibus in Litteris Pontifex palam confitetur, se ad multorum principum et praelatorum et aliorum ecclesiasticorum et saecularium virorum instantiam necnon speciali affectione ad personas regni Franciae, de quo ipse traxit originem, ductum personis quampluribus de canonicatibus, praebendis, dignitatibus, personatibus aliisque officiis ecclesiasticis tunc proxime vacaturis etiam ultra voluntatis suae propositum providisse. Postea vero a concessione similium gratiarum „ut exspectantium numerus in eisdem non multiplicaretur ecclesiis“, neque praelati ipsi facultate providendi personis idoneis prorsus carerent ad tempus sc. ad triennium abstinuit. Sed crescente nihilominus in dies supplicantium numero per haec Apostolica scripta praelatis aliisque personis iam memoratis districte praecipiendo mandavit, ne ipsi aut quisquam suorum „aures Apostolicae Sedis super huiusmodi gratiis obtinendis usque ad biennium proxime secuturum infestare aut super his alicui concedere supplicatorias Litteras quovismodo praesumat.“

---

[1]) Ibidem nº 6281.

V.

Litterae Apostolicae eiusdem generis a Johanne XXII. usque ad Gregorium XI. confectae. (1316—1378.)

Johannes XXII.[1]) reservationum tam generalium quam specialium systema quam maxime excoluit.[2])

Primae Litterae reservatoriae ab ipso Pontifice die 12. Aug. 1316[3]) i. e. iam ante suae coronationis solemnia Vitali de Ape canonico Agennensi concessae suam intentionem iam satis insinuant. Cum enim canonicatus et praebenda per obitum Arnaldi de Cantalupo tituli S. Marcelli Presbyteri Cardinalis in dicta Agennensi ecclesia vacarent apud Sedem Apostolicam, quia praefatus Cardinalis in Curia diem clausit extremum, Johannes XXII. illos contulit dicto canonico Vitali, quod apud Sedem Apostolicam vacavisse noscebantur et quia Clemens V. praedecessori eius „dudum ante vacationem huiusmodi canonicatus praebendas ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam Sedem vacantia et in posterum vacatura Apostolicae donationi reservans, decrevit etc.“

Duae ergo erant rationes, cur Johannes XXII. dictos canonicatum et praebendam sibi reservatos esse censuisset sc. vacatio in Curia vi c. „Licet ecclesiarum“ et vi c. „Etsi in temporalium“ a Clemente V. praedecessore eius nuperrime editi; quamvis enim praememorata constitutio Clementis V. tantum esset temporalis, tamen obitus dicti Cardinalis Ademari (1313 Dec. 14)[4]) antecedebat mortem ipsius Romani Pontificis (1314 Apr. 14) ergo iam vi c. „Etsi in temporalium“ huiusmodi canonicatus et praebenda erant reservati dispositioni Sedis Apostolicae. Insuper constitutiones Clementis IV. et

---

1) Electus Lugduni 1316 Aug. 7 ibique coronatus Sept. 5. e. a.

2) Cf. Pastor l. c. I. 67 sqq. Munch l. c. p. 38. Verlaque, Jean XXII. sa vie et ses oeuvres p. 184 sq.

3) Reg. Vat. t. 63 fol. 1 t⁰ n⁰ 3. Coulon l. c. has litteras non complectitur.

4) Eubel, Hierarchia cath. medii aevi I. p. 13.

Bonifatii VIII. erant adhuc in pleno vigore, quare optimo iure praefatus Johannes XXII. ad ipsas initio sui pontificatus provocavit, antequam ipse legislatoris munus exerceret.

Sed iam octo dies (1316 Sept. 15.)[1]) post suae coronationis solemnia Gaucelino suo vicecancellario mandavit, ut in scripturam redigeret suam voluntatem, qua „omnia beneficia ecclesiastica, quae fuerint et quocumque nomine censeantur, ubicunque ea vacare contigerit propter acceptationem alterius beneficii praetextu gratiae ab eodem domino (sc. Johanne) factae vel faciendae acceptati“ suae et Sedis Apostolicae collationi reservavit. Qua voluntate in cancellaria sua expressa, iam ab initio sui pontificatus praedictus Romanus Pontifex ambitum reservationum generalium multum ampliavit et in eadem via paulo post longius progressus est.

Primo loco nominanda est constitutio „Ex debito“[2]) quae, ut Pontifex ipse confitetur, paulo post suae promotionis exordium[3]) promulgata est.

Vi officii pastoralis ex alto sibi concessi intendit Johannes XXII. periculis animarum necnon ecclesiarum ac monasteriorum dispendiis occurrere, quae ipsis ex diutinis vacationibus frequentius provenire solent et, ut insuper principatui Romanae Ecclesiae ex divina provisione obtento „honor debitus impendatur,“ animum advertit ad supradictas constitutiones a Bonifatio VIII. et Clemente V. editas circa generalem reservationem beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium, ex causis rationabilibus et de Cardinalium consilio „nonnulla detrahendo, aliqua declarando et quaedam addendo de novo“. Processit enim Johannes XXII. extendendo reservationes generales iam ulterius quam praedecessores sui. Primum reservavit pro tempore sui pontificatus omnes patriarchales, archiepiscopales et episcopalis sedes, monasteria et ecclesias regulares, prioratus, officia, administrationes, dignitates, personatus, praebendas aliaque beneficia ecclesiastica c. cura vel s. cura apud Sedem Apostolicam vacantia vel vacatura.

Deinde praeter mortem in Curia inter Reservationum Apostolicarum causas recensentur depositio ac privatio beneficiorum, cassatio electionum, repulsio postulationum, renunciatio sc. in manibus Pontificis, beneficiorum vacatio per provisionem, translationem vel susceptionem muneris consecrationis vel benedictionis a Clemente V. vel ab ipso promotis impensi, in quantum de huiusmodi beneficiis a suo praedecessore usque adhuc non erat dispositum. Deinde „apud Sedem Apostolicam“ ex tunc censebantur vacare omnes dignitates etiam episcopales, ecclesiae, monasteria et alia praedicta beneficia, quae Cardinales tempore mortis sive in Curia sive extra incidentis obtinebant. Idem dicendum est de dignitatibus et beneficiis quibuslibet officialium

---

[1]) Erler, Der Liber Cancellariae Apostolicae vom Jahre 1380 p. 167.

[2]) = c. 4. in Extrav. Comm. I. 3.
Cod. B. p. 65—67.
Cod. V. p. 68.
Vidi Commentarium in hoc caput P. VI. n⁰ 3.

[3]) Reg. Aven. t. 15. p. 187.

Apostolicorum i. e. vicecancellarii,[1]) camerarii, notariorum, auditoris contradictarum, correctorum, scriptorum Litterarum ac poenitentiariorum Apostolicorum et abbreviatorum Curiae Romanae necnon capellanorum Apostolicorum commensalium et quorumlibet aliorum ratione officii vel ex causa legitima in Romana Curia morantium, si in negotiis Curiae Romanae prosequendis praemissi vel transmissi vel ut Legati vel Nuntii durante legatione seu prosecutione ipsorum negotiorum in vel extra Curiam diem claudunt extremum.

Idem constitutum erat de dignitatibus et beneficiis supradictis capellanorum Apostolicorum commensalium, qui tempore datae praesentium transmissi fuerunt ubicunque et moriuntur.

Accedit, quod „apud Sedem Apostolicam" declarantur vacare sedes, monasteria et alia beneficia supradicta, quae vivente Clemente V. usque ad eius obitum vacaverunt in Curia absque ordinatione praedicti Pontificis et ab initio pontificatus Johannis XXII. usque ad datam praesentium eodem modo vacant, dummodo in eis ius in re licet ad rem nulli sit quaesitum.

In fine vero dicti capitis expresse statuitur, praesenti constitutione decretis super hoc a Gregorio X. ac Bonifatio VIII. et aliis praedecessoribus[2]) datis eatenus tantum derogari „quatenus edicto essent et sunt contraria memorato". Deinde Johannes XXII., qui iam, ut supra dixi, die 15. Sept. 1316 voluntatem suam de reservandis beneficiis vacantibus per assecutionem alterius beneficii vigore Litterarum Apostolicarum obtenti in scriptis redigi iussit, die 19. Nov. 1317 per saluberrimam et multum usutritam constitutionem, quae incipit „Execrabilis" [3]) intentionem suam accuratius explanavit. Imprimis omnes dispensationes tam a praedecessoribus suis quam a semetipso factas „super receptione aut retentione plurium dignitatum, personatuum. officiorum, prioratuum aut beneficiorum, quibus cura animarum sit annexa" generaliter revocavit, duas tantum exceptiones admittens sc. respectu beneficiorum Cardinalium et filiorum regum declaratione super hoc insuper adiecta.

Deinde ordinavit, ut omnes, qui tunc temporis ex dispensatione legitima plures dignitates, personatus, officia aut prioratus seu beneficia incompatibilia obtinebant, tenerentur intra mensem a tempore notitiae praesentis constitutionis acceptae ad eligendum unum vel unam tantum ex dignitatibus, personatibus, officiis, prioratibus, ecclesiis vel beneficiis, quibus cura annexa erat animarum, cum dignitate, personatu vel officio, prioratu,

---

[1]) Cf. Tangl l. c. p. XXIV sq.

[2]) Cod. B. et V. nominant etiam Clementem IV.

[3]) c. un. de praeb. 3. in Extrav. Joh. XXII. =
c. 4. in Extrav. Comm. III. 2.
Cod. B. 274, 275.
Cod. V_1. (II. F. 29. Vrat.) fol. 348.
De causis dictae constitutionis non sine iniuriis et contumeliis contra Johannem XXII. disputat Hinschius l. c. III. p. 131. Coulon l. c. hoc caput e Registris Pontificiis adhuc non publicavit.

ecclesia vel beneficio sine cura, quae habere mallent. Omnia alia beneficia cum cura vel sine cura cum prioribus incompatibilia in dicto capite ex tunc vacare decernuntur et coram Ordinario intra dictum mensem verbaliter et realiter erant dimittenda, sub poena privationis ipso iure incurrendae circa omnia praefata beneficia etiam alias licite retinenda — adiuncta inhabilitate quoad similia iterum recipienda. Huiusmodi electio facienda erat etiam ab illis, qui dignitates, personatus, officia vel alia beneficia curata ex dispensatione Apostolica iuxta moderationem praescriptam [1]) iam obtinentes, alia similia beneficia vigore Litterarum Apostolicarum exspectabant. Etiam huiusmodi beneficiati in casu, quo beneficia ab illis sic exspectata vacabant, intra mensem debuerunt eligere, quae beneficia retinere mallent, ceteris omnino dimissis.

Qui vero plura beneficia incompatibilia sine dispensatione ab Apostolica Sede super hoc obtenta iam possidebant intra mensem sub poenis supra allatis coram Ordinario omnia dimittere cogebantur, ultimo excepto, in quo illis ex collatione canonica ius iam erat quaesitum. Praeterea deinceps omnes, dignitatem vel personatum seu officium aut aliud beneficium curatum tenentes, per possessionem secundi similis beneficii ipso iure priore erant privati cum obligatione dimittendi illud sine mora in manibus Ordinarii — alias utroque beneficio ipso iure carebant et etiam ad Sacros suscipiendos Ordines et ad quodcumque beneficium ecclesiasticum inhabiles declarabantur. Ceterum in fine dicti capitis sequuntur verba gravissima: „Quae omnia et singula beneficia vacatura, ut praemittitur, vel dimissa nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni de ipsorum fratrum consilio reservamus.“ Denique locorum Ordinariis sc. Episcopis vel sede vacante capitulis earundem dioecesium, in quibus beneficia huiusmodi dimittenda consistebant vel ipsi beneficiati illa dimissuri commorabantur, iniungebatur onus, de beneficiis tam dimissis quam perditis indilate quam primum commode fieri potuerit mittendi notitiam ab Curiam Romanam.

Nomine vero beneficiorum curatorum in hoc capite intelliguntur parochialia, in quibus cura non per vicarios perpetuos sed per rectores aut ministros beneficiorum ipsorum vel eorum temporales vicarios exercebatur, vel illa beneficia, quorum ministris vi officii competebat visitare, inquirere, procurationes recipere, suspendere, excommunicare seu ab iisdem censuris absolvere.

Quae celeberrima constitutio quam maximi momenti fuerit dictis temporibus in administrandis beneficiis universalis Ecclesiae facile cognosci potest, si ante oculos habemus, quam ingens numerus huiusmodi beneficiorum vi dicti capitis sive ex pluralitate sive ex illicita retentione beneficiorum uno eodemque tempore in unaquaque dioecesi vacaverint „apud Sedem Apostolicam“.

---

1) Sc. unum curatum beneficium cum altero sine cura.

Die 13. Sept. 1319[1]) praefatus Johannes XXII. in terris ad Romanam Ecclesiam spectantibus in quovis vacationis casu sibi et Sedi Apostolicae usque ad suam et ipsius Sedis beneplacitum provisionem omnium et singularum archiepiscopalium, episcopalium aliarumque collegiatarum ecclesiarum nec non abbatiarum, monasteriorum, prioratuum aliorumque locorum ecclesiasticorum vacantium et vacaturorum, ad quae quis consuevit per electionem assumi, reservavit. Ita quaevis electio, nominatio, postulatio seu quaevis alia provisio de iisdem beneficiis etiam in casu, quo quis dictam reservationem ignoraret, omnino irrita declarabatur. Huius reservationis generalis causa enunciatur, cura circa statum pacificum et tranquillum terrarum in domino Romanae Ecclesiae consistentium.[2])

Postquam vero die 9. Sept. 1321[3]) ecclesiam Iporien. in provincia Mediolanen. sitam vacantem vel vacaturam vi potestatis „ex alto" acceptae suae et dispositioni Sedis Apostolicae reservaverat in remedium multarum oppressionum et variorum incommodorum, quae dicta ecclesia „propter malignorum incursus" patiebatur, die 30. Julii 1322 per constitutionem „in Apostolicae sollicitudinis specula"[4]) sibi et Sedi Apostolicae usque ad eiusdem Sedis beneplacitum de Apostolicae potestatis plenitudine in patriarchatu Aquilegien. nec non Mediolanen. Ravennaten. Januen. et Pisan. provinciis provisiones omnium patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium necnon aliarum quarumlibet ecclesiarum collegiatarum saecularium et regularium et abbatiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum quorumcunque piorum locorum exemptorum et non exemptorum, ad quas vel ad quos seu quae praelati consueverunt seu debebant per electionem assumi, vacantium vel vacaturorum ubicunque generaliter reservavit.

Et eadem fere allegatur ratio huiusmodi reservationis sc.: „retroacti et hucusque continuata malitia temporis" qua provisiones dictarum ecclesiarum variis subiacuerunt discriminibus. Haec constitutio tamdiu duratura esset in pleno vigore „donec favente domino sublata procella temporis impacati eisdem ecclesiis et personis earum plena in eligendo securitas ministretur."

[1]) Cf. Const. „Imminente Nobis."
Magnum Bull. Rom. l. c. p. 287.
Cod. B. fol. 72t⁰.
Cod. V. fol. 68t⁰.

[2]) Hoc loco satis erit excitasse memoriam acerbissimi certaminis inter Johannem XXII. et Ludovicum Bavariae ducem orti, qui praesertim terras Romano Pontifici subiectas ad apertam sollicitaverat rebellionem.

[3]) Cf. Reg. Vat. t. 111 fol. 94t⁰ („Militanti ecclesiae").
P. VII. n⁰ 5.

[4]) Reg. Vat. t. 128 n⁰ 74 et n⁰ 95.
Cod. B. fol. 68.
Cod. V. fol. 69 (sine die).
Vide P. VII. n⁰ 6 — ubi dictae Litterae primum integrae publicantur e Codice B. cum adnotationibus e Cod. V. et Reg. Vat.
Raynaldus — Annales ad a. 1322 n. 4 — partem tantum dictae reservationis edidit a verbis „in patriarchatu" usque „reservamus".

Quae tamen constitutio saltem in partibus Lombardiae effectum suum non sortita esse videtur, secus vix intelligi potest, cur idem Johannes XXII. die 12. Aprilis 1323 per bullam, quae incipit „pro statu partium Lombardiae“[1]) iterum reservaverit „omnes et singulas cathedrales et collegiatas ecclesias in eisdem Lombardiae partibus vacaturis ex nunc usque ad biennium“ et quidem reservaverit iterum sibi ac Sedi Apostolicae.

Porro eodem die Bertrando[2]) tituli S. Marcelli presbytero Cardinali, suo in partibus Lombardiae Legato mandavit „ut praedicta reservatio nostra in omnium, quorum interest notitiam veniat et adversus illam causam ignorantiae aliquis imposterum[3]) non praetendat“ et commisit, ut dictam reservationem „in locis, in quibus expedire videris“ quantocius publicaret, imposita ipsi Legato stricta obligatione referendi ad Papam de executione praefati mandati.

Ex unico hoc exemplo iam apparet, Johannem XXII. in reservandis dictis beneficiis non modo quasi abrupto processisse sed paulatim, ubi „expedire“ videbatur omissa publicatione, ubi non ad salutem sed forsan ad apertum discrimen dictarum ecclesiarum praematura collatio Apostolica multum attribuisset. Die autem 5. Aug. 1323[4]) forte ad relationem praedicti Legati in Lombardiam missi, Johannes Papa XXII. declarationem adiciens circa dubium, quaenam ecclesiae collegiatae supramemoratae essent dispositioni Apostolicae reservatae saeculares an regulares, suam mentem ita aperuit, dictam reservationem se extendere tantum „ad cathedrales et abbatiales ecclesias ac monasteria per abbates solita gubernari.“

Sicut in Lombardia ita etiam in provincia Ravennaten. prima constitutio Johannis XXII. nimis generalis effectum suum non sortita esse videtur, nam die 1. Aprilis 1323[5]) praedictus Romanus Pontifex iterum suae et Sedis Apostolicae dispositioni omnes et singulas cathedralis et collegiatas ecclesias saeculares et regulares civitatis et dioecesis ac provinciae Ravennaten. reservaverat et quidem extunc usque ad biennium vacaturas, ergo non amplius „usque ad beneplacitum Sedis Apostolicae“.

Similis reservatio facta est etiam in Januen. Pisan. Aquilegien. necnon Graden. provinciis.

Die 27. Martii 1325[6]), cum finis dicti biennii instaret, Johannes XXII. „eisdem motus considerationibus“ dictam reservationem „ad duos annos

---

1) Reg. Vat. t. 111 fol. 361 n⁰ 1491.

2) Reg. Vat. l. c. n⁰ 1492.

3) Inde facile colligitur, per praetensam ignorantiam primam constitutionem impugnatam fuisse — nunc vero auxilio Legati implorato maiore cum vi et efficacia secunda datur executioni.

4) Reg. Vat. t. 111 fol. 392 n⁰ 1634.
P. VII. n⁰ 7.

5) Nota est mihi dicta reservatio tantum ex decreto prorogationis eiusdem die 27. Martii 1325 factae.
Reg. Vat. 113 fol. 174 t⁰ n⁰ 1031 („Dudum videlicet“).
Cod. B. fol. 69—70.
Cod. V. fol. 69 t⁰.
P. VII. n⁰ 8, 9.

6) Reg. Vat. l. c.

continuos a fine dicti biennii numerandos" prorogavit cum expressa extensione „ad saeculares et regulares tam cathedrales quam abbatiales et alias quascumque collegiatas praeterquam moniales et aliarum religiosarum mulierum ecclesias exemptas et non exemptas".

Idem reservationis instrumentum traditum est etiam Legato Lombardiae cum simili monitione, ut ibi tantum dicta prorogatio promulgaretur, ubi id „expedire" cognovisset cum eadem obligatione reddendi rationem in scriptis de facta publicatione.

Die 29. Martii 1327[1]) idem Papa Johannes in fine illius biennii primam reservationem de dictis provinciis sc. Mediolan. Ravennat. Pisan. Januen. Aquilegien. Graden. factam „eisdem considerationibus" motus „usque ad duos annos a Kl. Aprilis proximi futuri ex tunc computandos" quoad extensionem a prima prorogatione non diversam iterum prorogavit.[2])

Eodem modo scripsit Romanus Pontifex de publicatione dicti decreti ad Legatum Lombardiae, ut illam suo arbitrio faceret in civitate, dioecesi et provincia Januen. Ravennat. Mediolan. et simili modo etiam ad Legatum Tusciae de publicatione in districtu Pisano, utrique imposita obligatione referendi super hoc in scriptis.

Exeunte ultimo biennio die 28. Martii 1329[3]) idem Romanus Pontifex dictam reservationem in patriarchatu Aquilegien. et Mediolanen. Januen. Pisan. Ravennat. et Graden. provinciis iterum ad duos annos ab eisdem Kl. Aprilis proximi instantis computandos prorogavit cum antedicta restrictione; id quod eodem modo iisdemque conditionibus et ex similibus causis, in iisdemque territoriis factum est die 27. Martii 1331[4]) et die 28. Martii 1333.[5])

Circa vero reservationem beneficiorum die 13. Sept. 1319 a praefato Papa Johanne in partibus Tusciae et ad Romanam Ecclesiam spectantibus

---

[1]) Reg. Vat. t. 114 n⁰ 216 („Olim ad statum").
Cod. B. fol. 70—71.
Cod. V. fol. 70.
P. VII. n⁰ 10, 11.

[2]) Ad has Litteras Apostolicas melius intelligendas in memoriam revocandae sunt:
1327 — expeditio Ludovici Bavarici in Italiam directa.
1328 Jan. 17. — assumptio volenta coronae imperialis.
1328 Aprilis 18. — electio Nicolai V. pseudopapae.

[3]) Reg. Vat. t. 115 fol. 20 n⁰ 475 („Circa statum").
Cod. B. fol. 71.
Cod. V. fol. 70.
P. VII. n⁰ 12.

[4]) Reg. Vat. t. 116 fol. 160 n⁰ 795 („Dudum circa statum").
Cod. B. fol. 73.
Cod. V. fol. 71.
P. VII. n⁰ 13.

[5]) Cod. B. fol. 76 („Circa statum").
Cod. V. fol. 70.
P. VII. n⁰ 14.

ad suam et ipsius Sedis Apostolicae beneplacitum factam notandum restat, eundem Romanum Pontificem die 31. Dec. 1329[1]) declarasse, suam esse intentionem, quod dicta reservatio tantum usque ad duos annos a Kl. mensis Januarii (sc. 1330) computandos perduraret „nisi illa, aliis rationabilibus causis forsan inducti, provideremus in tempus amplius proroganda.“ Sed instante fine dicti biennii praefata prorogatio non exspiravit sed idem Papa Johannes similibus considerationibus et „nonnullis aliis rationibus et iustis causis“ inductus supramemoratam reservationem iterum ad duos annos a fine dicti biennii sc. 1. Jan. 1332 computandos prorogavit et ultimo loco etiam instante fine dicti secundi biennii sc. die 29. Dec. 1333[2]) modo et forma praedictis denuo prorogavit — ita, ut in die obitus Johannis Papae XXII. sc. 4. Oct. 1334 huiusmodi Reservationes generales in partibus Tusciae, in terris Romanae Ecclesiae, in patriarchatu Aquilegien. et Mediolanen. Januen. Pisan. Ravennaten. Graden. provinciis adhuc perdurarent, praesertim cum factae essent etiam Sedi Apostolicae.

Praeter dictas biennales reservationes currebat etiam prima supramemorata die 30. Julii 1322 circa dicta territoria facta, ad quam praesertim Clemens VI. initio sui pontificatus provocabat in constitutione, quae incipit: „Sollicitudo pastoralis officii“[3]) (1344 Febr. 14.); porro ex eadem Constitutione apparet, praefatum Papam Johannem sedes, collegiata aliaque beneficia ecclesiastica hospitalia et pia loca quaecumque ad Lucan. et Pisan. civitates et dioeceses eiusdemque civitatis Pisan. districtum spectantes „etiamsi foret de Vulteran., Massan., Lunen. et Grossetan. dioecesibus, quae de collatione archiepiscopi Pisan..... non exstarent“ reservasse ad Sedis Apostolicae beneplacitum.

Ex huiusmodi Reservationum Apostolicarum generalium constitutionibus am satis videmus, Johannem XXII. ab initio sui pontificatus usque ad mortem (1334 Dec. 4.) iisdem usum fuisse maxima ex parte e causis mere politicis sc. ad reprimendas rebelliones passim ortas in terris Romanae Ecclesiae specialiter subiectis et in tota paeninsula Italia.

Benedictus Papa XII.[4]) a Reservationibus Apostolicis tam generalibus quam specialibus de beneficiis in diversis mundi partibus faciendis minime

---

[1]) Cod. B. fol. 72 t⁰ sq. („Dudum ad statum“).
Cod. V. fol. 70 t⁰—71.
P. VII. n⁰ 15.

[2]) Reg. Vat. t. 117 fol. 276 n⁰ 1435 („Ad statum pacificum“).
Cod. B. fol. 78 sq.
Cod. V. fol. 72 t⁰ (sine die).

[3]) Cod. B. fol. 108—111.
Cod. V. fol. 85 t⁰—86.
P. VII. n⁰ 34.

[4]) Electus Avenione 1334 Dec. 16 ibique coronatus 1335 Jan. 8.
Cf. Daumet l. c.
Pastor I, 87 sq.
Hefele VI, 555 sqq.

abstinuit.[1]) Primo loco nominanda est constitutio celeberrima a praedicto Romano Pontifice edita die 11. Jan. 1335 i. e. tribus diebus post suam coronationem, quae incipit „Ad regimen“[2]).

Qua in constitutione Benedictus Papa XII. pro tempore tantum sui pontificatus sibi reservavit omnes patriarchales, archiepiscopales, episcopales ecclesias, monasteria, prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus, praebendas, ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica curata vel non curata, saecularia vel regularia cuiusvis generis etiam electiva „nunc apud Sedem Apostolicam quocunque modo vacantia et in posterum vacatura.“

Praeter mortem in Curia inter Reservationum Apostolicarum causas etiam in hac constitutione allegantur similes rationes, quas in c. „Ex debito“ invenimus sc. depositio, privatio, translatio, renunciatio, electionum cassatio etc. et quidem iam factae a Johanne Papa XXII. vel a praefato Benedicto faciendae in futuram ubicunque.

Porro reservantur beneficia vacantia per obitum Cardinalium vel officialium, Legatorum sive Nuntiorum Apostolicorum, quos inter afferuntur praeter illos in c. „Ex debito“ iam nominatos, Apostolici palitii causarum auditores, in terris Ecclesiae Romanae rectores et thesaurarii, si moriuntur durante proprio cuiusque officio sive a praefato Johanne XXII. collato vel ab ipso Benedicto XII. conferendo in posterum.

Deinde renovavit ordinationes, quas c. „Praesenti“ supranominatum iam exhibet, de venientibus ad Curiam Romanam negotiorum causa necnon de curialibus secedentibus ab ea propter infirmitatem, si moriuntur „in locis ultra duas dietas legales ab eadem Curia non remotis.“

Insuper reservantur omnia monasteria, prioratus, beneficia sive officia saecularia vel regularia etiam electiva tunc vacantia causa promotionis factae ad patriarchales, archiepiscopales, episcopales ecclesias vel monasteriorum regimina vel vacatura in futurum; item omnia beneficia et officia vacantia vel vacatura per assecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum et praebendarum, ecclesiarum et beneficiorum aliorum“ auctoritate Apostolica obtentorum.

In fine vero dicti capitis expresse statuitur, reliquas Constitutiones Apostolicas sc. perpetuas remanere in pleno vigore, quatenus non sunt contrariae articulis suprememoratis.

---

[1]) Cf. Munch l. c. p. 38.

Ex reservationum specialium decretis, de quibus in hoc libello nondum exprofesso disseritur, speciminis causa unum tantum eligam sc. reservationis ecclesiae Vratislaviensis instrumentum cf. P. VII. n⁰ 16.

[2]) c. 13. in Extrv. Comm. III. 3.

Reg. Aven. Bened. XII. t. I. fol. 377 (de Curia).

Cod. B. fol. 91—93.

Cod. V. fol. 76 t⁰.

Cod. S. fol. 115a sq.

P. VI. n⁰ 4.

M. Jansen, Papst Bonifatius IX. und seine Beziehungen zur deutschen Kirche — dictam nstitutionem perperam attribuit Johanni XXII. (p. 60).

Praeter alia decreta[1]) dicti temporis die 6. Maii 1336 Benedictus XII. promulgavit constitutionem „Circa confovendum“ [2]) de reservationibus in terris Ecclesiae Romanae.

Ultima enim reservatio de dictis territoriis a Johanne XXII. facta exspiraverat die 1. Jan. 1336. Decreto vero supramemorato Romanus Pontifex ad biennium sibi et Sedi Apostolicae reservavit provisiones archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum ecclesiarum necnon abbatiarum monasteriorum, prioratuum conventualium regularium et saecularium exemptorum sive non exemptorum electivorum „infra terras (sc. Romanae Ecclesiae) consistentium nunc vacantium vel vacaturorum“, eximendo tamen a dicta reservatione monasteria monialium et aliarum religiosarum mulierum atque ecclesias vel prioratus, quorum redditus annui summam quinquaginta florenorum auri non excedebant.

Quae reservatio cum die 6. Maii 1338 iam exspirasset, die 2. Junii 1339[3]) praefatus Romanus Pontifex in forma novae reservationis non prorogationis eodem modo ac forma easdem ecclesias ad secundum biennium i. e. usque ad 2. Junii 1341 sine commemoratione praecedentis reservationis ulterius reservavit. Appropinquante termino eiusdem reservationis illam iterum ad biennium prorogavit.[4])

---

[1]) Ex constitutionum Benedicti XII. reservationem beneficiorum generaliter tantum attingentium numero proferantur etiam sequentes:

„Declaratio, quod reservationes per dominum Johannem Papam factae non fuerunt revocatae.“

Cod. B. fol. 80—81.

Cod. V. fol. 73.

P. VII. n⁰ 17.

Decretum circa revocationem commendarum (1335 Maii 18), quod incipit „Super gregem.“

Reg. Aven. Bened. XII. t. 1. fol. 376 n⁰ 34.

Cod. B. fol. 96 t⁰, 97.

Cod. V. fol. 73.

Daumet l. c. n⁰ 57 (sine verbis).

P. VII. n⁰ 18.

Constitutio „Experimento didicimus“ (1335 Dec. 18) sc. Revocatio gratiarum generalium et aliarum exspectationum per praedecessorem factarum.“

Reg. Aven. t. 1. fol. 376 t⁰ n⁰ 35.

Cod. B. fol. 94—97.

Cod. V. fol. 81—82.

Daumet l. c. n⁰ 129 (sine verbis).

P. VII. n⁰ 19.

[2]) Reg. Vat. t. 131 ep. 108 fol. 32.

Cod. B. fol. 81.

Cod. V. fol. 73 t⁰ (II. Non. Febr.!).

Daumet l. c. n⁰ 177 (sine verbis).

P. VII. n⁰ 20.

Cf. Hefele l. c. p. 586 sq.

[3]) Cod. B. fol. 82 („Attendentes quod“).

Cod. V. fol. 74.

[4]) Cf. Daumet l. c. n⁰ 847 („Dudum diligenti meditatione“).

Die 22. Sept. 1336 Benedictus XII. per constitutionem „Dudum nos“[1]) occurrebat fraudibus, quae a nonnullis committebantur contra reservationem beneficiorum, vacantium per assecutionem aliorum incompatibilium vigore capitis „Ad regimen“. Saepius iam factum erat, ut personae, quibus per Litteras Apostolicas de secundo aliquo beneficio adhuc vacaturo fuit provisum, ne priora beneficia dimittere cogerentur, illis sc. prius obtentis, antequam dicta secunda beneficia de facto vel de iure vacarent, simpliciter vel ex causa permutationis in manibus Ordinarii renuntiarent — ita, ut in casu vacationis beneficiorum ab ipsis exspectatorum priora, vi capitis „Ad regimen“ dispositioni Sedis Apostolicae reservata, de facto non amplius possiderent. Sic magnus numerus beneficiorum alias dispositioni Sedis Apostolicae reservatorum a collatoribus ordinariis in fraudem dicti capitis „Ad regimen“ potuit conferri. Huiusmodi machinationibus illicitis Romanus Pontifex per supramemoratam constitutionem indixit terminum declarando, dicta priora beneficia non obstantibus resignationibus vel permutationibus in fraudem legis factis remanere reservata dispositioni Romani Pontificis, adiuncto insuper decreto irritante. Postea vero sc. die 23. Oct.[2]) e. a. praefatus Romanus Pontifex addidit declarationem quandam huius decreti statuendo, priora illa beneficia, etiamsi ante assecutionem praefatam quocumque modo vacarent, habenda esse omnino affecta.

Quod ad reservationem generalem, beneficiorum in Aquilegien. et Graden. patriarchatibus et in Mediolanen. Januen. Ravennaten. necnon Pisan. provinciis attinet, iam supra adnotatum est, in dictis territoriis huiusmodi reservationes ultimo loco die 28. Martii 1333 a Johanne XXII. fuisse factas, quare praefata reservatio generalis a Benedicto XII. saltem die 28. Martii 1335 i. e. ab initio sui pontificatus fuisset proroganda. Sed in Registris authenticis dicti Pontificis sive in Vaticanis sive in Avenionensibus nullam adhuc investigare potui prorogationem — solummodo in constitutione Clementis VI. iam supra nominata sc. „Sollicitudo pastoralis“ narrando quasi allegatur, Benedictum XII., ad culmen Apostolicae dignitatis assumptum, confirmationes omnium electionum „quas ad quascumque cathedrales et collegiatas ecclesias saeculares et regulares dictarum civitatum et dioecesis ac provinciae Mediolanen. tunc vacantes et in antea vacaturas celebrari contingeret“ ordinationi et dispositioni suae ac Sedis eiusdem cum interpositione decreti reservasse.

---

1) Reg. Vat. t. 122 fol. 14t⁰.
Cod. B. fol. 85.
Magn. Bull. Rom. l. c. p. 390.

2) Cod. B. fol. 93.
Cod. V. fol. 81.
P. VII. n⁰ 21.
In margine Codicis B. excurrunt haec verba:
Similem (sc. declarationem) fecit dominus Innocentius (VI.).
Similem fecit dominus Urbanus V. II. Non. Septembris anno primo.
Item similem dominus Gregorius Papa XI.
— quae verba omnia desunt in Cod. V.

Generales ergo beneficiorum reservationes in dictis territoriis a Johanne XXII. factae, ab eius successore non videntur fuisse prorogatae[1]), sed Benedictus XII. confirmationes tantum electionum alias rite celebratarum in provincia Mediolan. sibi vindicavit, quae alias forte spectassent ad archiepiscopum vel alium superiorem ecclesiasticum.

Quo iure confirmandi electiones specialiter reservato, praefatus Pontifex tuendis suis iuribus in dicta provincia sine dubio se satis consuluisse censuit.

Post mortem Benedicti XII. (1342 Aprilis 25) Clemens Papa VI.[2]) iam sequenti die post suae coronationis solemnia circa c. „Ad regimen" a praedecessore suo promulgatum edidit constitutionem, quae incipit: „Dudum felicis recordationis"[3]) declarando, omnes patriarchales, archiepiscopales, episcopales, abbatiales aliasque dignitates ac personatus, officia, canonicatus, praebendas aliaque beneficia ecclesiastica saecularia et regularia a Benedicto XII. generaliter vel specialiter reservata, quae tempore obitus dicti Pontificis vacabant apud Sedem Apostolicam, remansisse et remanere affecta cum insertione decreti irritantis.

Post obitum enim Benedicti XII., qui sibi huiusmodi beneficia tunc vacantia et in posterum vacatura ad vitae dies dumtaxat reservaverat, subito ortum erat dubium, an illa in casu, quo de illis superveniente morte Pontificis nondum esset dispositum, sine discrimine remanerent reservata. Clemens vero VI. in superius citata constitutione dilucide exposuit, in rigore iuris beneficia tantum vacatura qualitatis supradictae, de quibus tempore obitus antecessoris sui nondum fuit ordinatum, dispositioni Sedis Apostolicae habenda esse reservata — sed in fine eiusdem decreti ipse sua auctoritate etiam huiusmodi beneficia tunc temporis vacantia iterum declaravit omnino affecta.

---

1) Nam per Litteras „Tenorem quarumdam" — 1340 Junii 28 — (Reg. Vat. t. 128 n⁰74 = Reg. Aven. t. 7 fol. 100 t⁰. — P. VII. n⁰ 22) non novum creatur ius sed antiquum iterum tantum in memoriam revocatur.

Juvat hic adnectere etiam constitutionem Benedicti XII. legendam in Cena Domini — 1338 Aprilis 16 — (Cod B. fol. 83; Cod. V. fol. 74; P. VII. n⁰ 23; Tangl. l. c. p. LXVIII.) propter poenas latas in spoliantes eos, qui veniunt ad Curiam Romanam negotiorum causa. Ad huiusmodi negotia in Curia tractanda maxima ex parte numeranda erant quaestiones de beneficiis reservatis vel reservandis.

Eodem modo hoc loco nominatur „Constitutio, quod impetrantes in forma pauperum non admittantur in ecclesiis collegiatis, in quibus grossum praebendarum cum distributionibus cottidianis excedunt summam litterarum ipsorum" — 1341 Okt. 23 — (Cod. B. fol. 106—108. Cod. V. fol. 85. Daumet l. c. n⁰ 896. — P. VII. n⁰ 24.)

Quo enim decreto Pontifex magnum voluit amovere concursum eorum ad beneficia meliora, quibus tantum provisum erat in forma pauperum. Postea (1342 Julii 19) haec constitutio a Clemente VI. abrogata est, quia tenderet „ad noxam potius et incommodum eorundem" sc. pauperum clericorum. (Reg. Vat. t. 147. fol. 6 n. 9; Déprez l. c. n⁰ 161 sine verbis — P. VII. n⁰ 25.)

Ultimo loco mentio fiat constitutionis „Quoniam nonnulli" — 1339 Dec. 19 — contra eos, qui loco sui alios supponunt examini pro consequendis beneficiis ecclesiasticis, vel se pro aliis dicto examini supponunt.

Magn. Bull. Rom. l. c. p. 462.

2) Electus Avenione 1342 Maii 7 — consecratus ac coronatus die 19. Maii e. a.

3) Reg. Vat. t. 214 (de Curia) fol. 14t⁰ n⁰ 9.

Déprez l. c. n⁰ 3 (sine verbis).

P. VII. n⁰ 26.

Eodem modo ipse intra mensem[1]) post suae promotionis exordia omnes canonicatus et praebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quocumque modo tunc in Curia vacantia et in posterum vacatura „cum similis (sc. Benedicti XII.) interpositione decreti“ ad dies vitae duxit reservanda.

Ad hanc reservationem postea adiecit declarationem[2]) sc. suae intentionis fuisse et esse omnia huiusmodi beneficia quocumque modo collationi suae generaliter vel specialiter reservata etiam in casu, quo personas, quibus eadem beneficia per Litteras Apostolicas sunt collata, ante possessionem pacificam „rebus eximi contingeret ab humanis“, remanere sub sua reservatione.

Hinschius[3]) aliique narrationem a Baluze[4]) datam sequentes adhuc docent, Clementem VI. in principio sui pontificatus omnes praelaturas et abbatiales dignitates, ad quas quis per electionem assumitur, sine ullo discrimine quoad modum vacationis expresse suae reservasse dispositioni, sed in Registris authenticis tum Vaticanis tum Avenionensibus dicti Pontificis huiusmodi decreti nullum invenire potui vestigium — ita, ut sola auctoritas Baluzii ad dictam generalem et satis gravem assertionem tuendam mea quidem sententia vix sufficere posse videatur, nisi forte post completam editionem Regestorum nova accedant argumenta.[5])

Die 6. Febr. 1343[6]) Clemens VI. „ad observationem cultus fidelitatis pacis et iustitiae“[7]) in regno Siciliae et terris citra Farum sub dominio directo Romanae Ecclesiae exsistentibus sibi et Sedi Apostolicae ad biennium reservavit provisiones et dispositiones omnium ecclesiarum

---

[1]) Reg. Aven. Clem. VI. t. 1 fol. 339.
(Coll. can. pro Petro Conradi in eccl. Vratisl.)
P. VII. n⁰ 27.
Decreti vero generalis textum usque adhuc investigare non potui. Reg. Vat. t. 147, 148, 214—218 (de Curia) huiusmodi constitutionem non amplectuntur.

[2]) Reg. Aven. l. c. t. 54 fol. 119 (1349 Junii 1.).
P. VII. n⁰ 28.

[3]) l. c. III. p. 132. Verba ipsius Pontificis ad regem Angliae in p. 5 huius libelli prolata hic non sunt ad rem.

[4]) Vitae paparum Avenionensium I, 310.

[5]) Liceat hoc loco obiter tantum commemorare constitutionem de pauperibus clericis editam „Dudum gratia divina“. (Reg. Vat. t. 214 fol. 18 n⁰ 15; Déprez l. c. n⁰ 162 — 1342 Aug. 23.)
Adiunguntur exempli gratia etiam Litterae dictae „Perinde valere“ circa reservationem vivae vocis oraculo concessam. (Cod. B. fol. 114. — P. VII. n⁰ 29.)

[6]) Reg. Vat. t. 214 (de Curia) fol. 21 t⁰ n⁰ 23. („Inter cetera quae“.)
Cod. V. fol. 90.
Cod. B. fol. 121.
P. VII. n⁰ 30.
Déprez l. c. n⁰ 170 (sine verbis).

[7]) Respicias facta dicti temporis satis turbulenta et sanguinosa, quae acciderant in regno utriusque Siciliae.
1343 obitus Roberti regis.
1345 Andreae regis occisio.
Fuga Johannae reginae ad Papam etc.

cathedralium necnon monasteriorum quorumlibet exemptorum et non exemptorum, praeterquam monialium et aliorum religiosarum mulierum, ad praesens vacantium et in antea vacaturorum.

Deinde die 5. Maii 1343[1]) propter „statum miserabilem insulae Siciliae" nonnullorum praedecessorum suorum vestigiis inhaerens quin etiam longius in hac parte progrediens, provisiones non modo ecclesiarum cathedralium sed etiam collegiatarum, abbatiarum, monasteriorum, prioratuum conventualium regularium et saecularium, exemptorum et non exemptorum nunc vacantium et in antea vacaturorum infra dictam insulam consistentium in quovis vacationis casu ad biennium a die 1. Junii e. a. computandum modo praedicto reservavit. Qua in reservatione Clemens VI. provocat ad Benedictum ultimum suum praedecessorem, qui huiusmodi decretum administrationem praefatae insulae concernens edidit die 1. Junii 1341 i. e. brevi tunc exspiraturum. Insuper notandum est, in praedicta constitutione Clementina contineri clausulam, quod ipsa ad monasteria monialium, religiosarum mulierum, necnon ad ecclesias vel prioratus non conventuales seu quorum fructus annui summam quinquaginta florenorum auri non excedunt minime possit extendi.

Porro, cum ultima reservatio in terris Ecclesiae Romanae subiectis sc. a Benedicto XII. die 1. Junii 1343 facta esset exspiratura, Clemens VI. eandem sub modo et forma praedictis per constitutionem, quae incipit „Inter sollicitudines varias"[2]) die 5. Maii 1343 prorogavit.

Eodem modo decretum sui praedecessoris circa affectionem dignitatum, praebendarum, ecclesiarum aliorumque beneficiorum vacantium vel vacaturorum per assecutionem aliorum beneficiorum auctoritate Apostolica collatorum cum adiuncta declaratione idem Clemens VI. die 22. Sept. 1343 renovavit.[3])

Diebus vero 13. et 14. Febr. 1344 ab eodem Romano Pontifice duae publicatae sunt constitutiones haud parvi momenti sc. in prima, quae incipit „Super universas"[4]), post narrationem de reservationibus generalibus in patriarchatibus et provinciis Italiae a Johanne XXII. et Benedicto XII. factis, discutitur quaestio, an praedictae reservationes generales usque ad beneplacitum Sedis Apostolicae per Johannem XXII. factae per alias biennales et temporales reservationes fuerint revocatae — de qua thesi diversis vicibus coram ipso Pontifice fuit disputatum. Eadem die sc. 13. Febr. e. a. ipse Pontifex praefatum dubium „minime declarando" — certe, quod firma

---

1) Reg. Vat. l. c. fol. 18 t⁰ n⁰ 16. („Dum statum miserabilem.")
Cf. Déprez l. c. n⁰ 174 (sine verbis).
P. VII. n⁰ 31.
Magn. Bull. Rom. l. c. p. 467 sq. (Extr. apud Raynald. ad annum 1343 § 83.)

2) Reg. Vat. l. c. fol. 19 n⁰ 17.
Cod. B. fol. 131.
Cod. V. 93 t⁰.
Déprez l. c. n⁰ 173 (sine verbis).
1343 Cola di Rienzi legatus Avenionem venit Papam invitaturus ad reditum.

3) Cod. B. fol. 132—133. Cod. V. fol. 93 t⁰. („Dudum nos certis.")

4) Cod. B. fol. 124—127.
Cod. V. fol. 91.
P. VII. n⁰ 32.

sententia etiam a Cardinalibus non potuit obtineri — auctoritate Apostolica ordinavit, quod omnes, post obitum dicti Johannis XXII. contra reservationes et decreta huiusmodi ad patriarchales, archiepiscopales, episcopales sedes quaslibetque dignitates ecclesiarum collegiatarum saecularium necnon abbatiarum, monasteriorum et prioratuum aliorum quorumcunque religiosorum ac piorum locorum regimina alias rite et canonice assumpti aliique etiam, quibus de quibuslibet „dignitatibus, personatibus vel officiis necnon collegiatis et aliis beneficiis ecclesiasticis hospitalibus et piis locis quibuscunque patriarchatuum, provinciarum, civitatum et dioecesium ac partium praedictarum" ius competebat ad rem vel in re — nisi reservationes praecessissent — licite possent huiusmodi beneficia vel officia „retinere assequi et habere," decreto habilitationis et donationis fructuum medio tempore perceptorum ex certa scientia adiuncto. Provisionibus vero et acceptationibus auctoritate Apostolica de praedictis beneficiis vel officiis forte iam factis expresse nullo modo per citatam constitutionem derogatum est. Eodem decreto denuo reservavit sibi et Sedi Apostolicae etiam omnes huiusmodi dignitates et beneficia supramemorata in territoriis praemissis adhuc vacantia de quibus nec auctoritate Apostolica nec ordinaria fuit dispositum. Deinde idem Pontifex eodem die sc. 13. Febr. 1344 per constitutionem „Dirigentes nostrae considerationis"[1]) iterum sibi et Sedi Apostolicae reservavit „provisiones omnium et singularum patriarchalium et episcopalium ecclesiarum, monasteriorum necnon prioratuum et locorum conventualium virorum dumtaxat, abbates proprios seu superiores sui ordinis non habentium ac principalium praelatorum seu capitum ordinum non mendicantium quorumcunque in Aquilegien. et Graden. patriarchatibus ac Mediolanen. Ravennaten. Pisan. necnon Januen. civitatibus dioecesibus et provinciis et in partibus Tusciae consistentium vacantium vel vacaturorum, ad quae praelati per electionem assumuntur, ad biennium a data praesentium computandum.

Sed haec reservationum forma sic restricta nescio qua de causa uno tantum valuit die, nam altero sc. 14. Febr. e. a. iam nova promulgata est constitutio, quae incipit „Sollicitudo pastoralis"[2]) duo praenominata decreta de cassatione quoad praeterita et de nova reservatione in supramemoratis territoriis amplectens. Illud vero speciali nota dignum est, quod ultima haec reservatio praedictae constitutionis se extendit ad omnes ecclesias cathedrales et collegiatas ac monasteria, prioratus, beneficia et loca ecclesiastica saecularia et regularia exempta et non exempta in dictis

---

[1]) Reg. Vat. t. 215 fol. 6 t⁰ n⁰ 18.
Cod. B. fol. 123.
Cod. V. fol. 90 t⁰.
Déprez l. c. nihil de hac re.
P. VII. n⁰ 33.

[2]) Cod. B. fol. 108—111.
Cod. V. fol. 85 t⁰—86.
Déprez l. c. nihil.
P. VII. n⁰ 34.

territoriis cum consueta exceptione quoad monasteria monialium et ecclesias aliaque beneficia et loca ecclesiastica, quorum fructus XL. flor. auri valorem non excedebant.

Ex diversis huiusmodi decretorum terminis circa reservationum extensionem quasi necessario dubia oriri debebant, praesertim cum in ultima constitutione priori sc. die praecedenti factae expresse nullo modo derogetur.

Sed ex prorogatione eiusdem constitutionis sc. „Sollicitudo pastoralis" die 8. Febr. 1346[1]) ab eodem Romano Pontifice ad secundum biennium in iisdem territoriis facta satis apparet, ultimam formam sc. die 14. Febr. 1344 editam remansisse fundamentum prorogationis, ad quam solam iisdem verbis provocatur.

Hoc loco nominanda sunt etiam sequentia decreta eiusdem Pontificis, quae inscribuntur „Relaxatio pro exspectantibus ad biennium de beneficiis reservatis"[2]) (1344 Oct. 1.). „Declaratio prima et restrictio relaxationis gratiarum exspectantium super reservationibus"[3]) (e. d.). „Secunda declaratio relaxationis" (1344 Oct. 19.)[4]).

In primo decreto statuitur in levamen eorum, qui vigore Litterarum Apostolicarum tunc et in antea quaedam beneficia quasi frustra exspectabant, quod ex speciali concessione ad biennium tantum valenti possint facere sibi provideri de praebendis tam in cathedralibus quam collegiatis ecclesiis necnon de beneficiis ecclesiasticis c. cura sexaginta vel s. cura quadraginta librarum Turonensium non excedentibus, etiamsi alias sint reservata dispositioni Sedis Apostolicae.

Orto tamen subito aliquo dubio circa extensionem dicti decreti iam eodem die sc. 1. Oct. e. a. supradictam declarationem adiecit, quod primum hoc decretum nimis amplum et valde odiosum se „ad dignitates, praepósituras mensatas, personatus et officia huiusmodi sive curam habeant animarum sive non ac etiam ad prioratus aut quaecunque alia beneficia vel officia regularium quorumcunque ac ad canonicatus et praebendas praedictos aliquatenus non extendi."

Tertio vero decreto (1344 Oct. 19.) expresse declaratur, relaxationem reservationum praebendas, quas aliqui in iisdem ecclesiis una cum dignitatibus, personatibus officiis, beneficiis, prioratibus, praeposituris, administrationibus seu mensatis obtinebant „etiamsi eis (sc. dignitatibus etc.) annexae non

---

1) Cod. B. fol. 110. („Dudum videlicet").
Cod. V. fol. 86t⁰.
P. VII. n⁰ 35.

2) Reg. Vat. t. 216. fol. 11t⁰.
Cod. B. fol. 122—123.
Cod. V. fol. 90—91.
P. VII. n⁰ 36.

3) Reg. Vat. l. c. fol. 15.
Cod. B. fol. 114—116.
P. VII. n⁰ 37.

4) Cod. B. fol. 116—117.
Cod. V. fol. 88—88t⁰.
P. VII. n⁰ 38.

exsistant" non attingere sed illas (sc. praebendas) manere affectas. Si vero huiusmodi praebendae et dignitates ab una eademque persona possessae erant in diversis ecclesiis, tunc occasione vacationis dictae praebendae poterant acceptari, etiamsi alias essent dispositoni Sedis Apostolicae reservatae.[1])

Maximi vero momenti fuit decretum „Apostolicae Sedis providentia"[2]) die 6. Dec. 1351 promulgatum, per quod idem Pontifex omnes reservationes de canonicatibus et praebendis in ecclesiis cathedralibus et collegiatis necnon de aliis beneficiis cum cura vel sine cura in diversis mundi partibus „cum vacarent" factis, de quibus nondum alicui erat provisum, auctoritate Apostolica revocavit. Minime tamen in hoc decreto dignitates et personatus et beneficia curata voluit comprehendi nec dicta beneficia tempore huiusmodi revocationis iam vacantia „ubicunque et quomodocunque" ab affectione libera declaravit, sicuti expresse die 11. Martii 1352[3]) statutum est.

---

[1]) Ex declarationibus reservationem beneficiorum regularium respicientibus duae adnotandae sunt, quae intitulantur: „Declaratio, quod reservato beneficio personae regularis, quod obtinebat in loco, in quo erat certus numerus, locus, quem habebat in loco ipso (sc. ubi commorabatur) sit eo ipso reservatus." — 1345 Okt. 10. — Titulus hic remanet satis obscurus, nisi textum ipsum inspicias.

Cod. B fol. 117—118.
Cod. V. fol. 88t⁰.
P. VIII. n⁰ 39.

Et „Declaratio, quod loca regularium certum numerum habentium remaneant reservata". 1346 Aprilis 13.

Cod. B fol. 118—119.
Cod. V fol. 89.
P. VII n⁰ 40.

Porro haud exigui momenti est decretum sc.: „Provida sedis", quod tantum in fragmento possidemus. — 1346 Jan. 4. — [Reg. Vat. t. 216 (de Curia) fol. 1 n. 1. — P. VII. n⁰ 41.] Illud enim praecipue spectat ad abbreviandas lites de iis, quae in Litteris Apostolicis narrantur de reservationibus iam factis a Johanne XXII. vel Benedicto XII. Postulabantur enim in iudicio ab iis, quibus a Clemente VI. vi cuiusdam reservationis a praedecessoribus suis factis de aliquo beneficio provisum erat, praeter Litteras Apostolicas etiam aliae probationes — quod probationum onus a multis non potuit sustineri. Quare declaravit Pontifex, omnibus narrationibus in dictis Litteris, super quibus gratia Apostolica fundabatur, habendam esse „fidem plenariam absque alterius probationis adminiculo in iudiciis."

Deinde die 5. Oct. 1347 per constitutionem „Cum sicut multorum" (Reg. Vat. t. 141 n⁰ 1436. — P. VII. n⁰ 42.) clericis pauperibus beneficia ecclesiastica in diversis mundi partibus exspectantibus praestitit favorem declarando, quod tam ipsi quam posteri praebendas in quibuscumque collegiatis ecclesiis ac alia beneficia ecclesiastica c. cura et s. cura ubilibet exspectantes i. c. etiam Sedi Apostolicae reservata cum consueta limitatione quoad beneficiorum valorem „perinde usque ad annum" possent acceptare.

Speciminis gratia allegatur hoc loco etiam quidam processus circa rem beneficiariam die 3. Febr. 1348 Avenione instructus, qui inscribitur: „Processus contra illos, qui impediunt venientes ad Romanam Curiam." (Cod. B. fol. 111—114. — P. VII. n⁰ 43.)

[2]) Cod. B. fol. 139.
Cod. V. fol. 97.
P. VII. n⁰ 44.

[3]) Cod. B. fol. 139—140. „Dudum videlicet."
Cod. V. fol. 97.
P. VII. n⁰ 45.

Denique certe non praetereunda est etiam constitutio sc. „Dudum omnes canonicatus“[1]) die 19. Dec. 1352 edita, qua Pontifex expresse declarat, decreta Apostolica circa liberam retentionem prioris cuiusdam beneficii incompatibilis cum secundo auctoritate Apostolica obtento i. e. decreta, „perinde valere“ beneficia prius acceptata ita afficere, ut in casu vacationis dispositioni Apostolicae omnino manerent subiecta.

Innocentius Papa VI.[2]) postquam die 29. Jan. 1353[3]) constitutionem „Experimento didicimus“ a Benedicto praedecessore suo editam (1335 Dec. 18) quasi verbotenus reiterando omnes gratias exspectativas ab antecessoribus suis factas revocavit, in principio sui pontificatus omnes dignitates, personatus, officia ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud Sedem Apostolicam vacantia et in antea vacatura suae dispositioni reservavit[4]) cum adiuncto decreto irritante in forma consueta.

Porro vestigia praedecessorum suorum premens, eodem modo omnia beneficia ecclesiastica cum cura et quaecunque per assecutionem pacificam parochialium ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum per ipsum Pontificem seu auctoritate sua collatorum et in antea conferendorum tunc vacantia et in posterum vacatura suae reservavit[5]) dispositioni.[6])

Deinde constitutio „Pastoris aeterni“[7]) — 1353 Maii 18 — ab eodem Pontifice directa est contra retinentes vi quarundam Litterarum Apostolicarum plures praelaturas, prioratus, dignitates, beneficia etc. certe cum prioribus incompatibilia. Huiusmodi Litteras praedecessorum suorum irritando „hac vice“ omnes et singulas commendas et concessiones dicti generis de quibuscunque cathedralibus vel aliis ecclesiis, monasteriis, praelaturis, prioratibus, dignitatibus etc. — exceptis tantum concessionibus Cardinalibus factis — revocavit.

Denique praefatus Pontifex, cum dispendium non modicum ex magno beneficiorum reservatorum numero proveniens removere intenderet, die

[1]) Cod. B. fol. 140—141.
Cod. V. fol. 97.
P. VII. n⁰ 46.

[2]) Electus Avenione die 18. Dec. 1352 — coronatas ibidem die 30. e. m.

[3]) Reg. Vat. t. 221 n⁰ 33.
Cod. B. fol. 142—145.
Cod. V. fol. 98 (sine verbis).

[4]) Reg. Aven. Innocentii VI. t. 1 fol. 80; t. 12 fol. 281t⁰ etc.
Speciale vero decretum usque adhuc nusquam reperire potui.

[5]) Reg. Aven. l. c. t. 23 fol. 391t⁰.
P. VII. n⁰ 47.

[6]) Reiecit vero Pontifex petitionem Johannis Regis Franciae super conferendis canonicatibus tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum cum reservatione praebendarum personis ab ipso Rege nominandis. — 1353 Febr. 7 — (Reg. Vat. t. 235 fol. 23; — P. VII. n⁰ 48).

[7]) Reg. Vat. t. 221 fol. 3 n⁰ 32.
Cod. B. fol. 145—147.
P. VII. n⁰ 49.

16. Jan. 1362 „hac vice“ [1]) locorum Ordinariis aliisque personis, ad quas provisio sive institutio canonica pertinebat, concessit facultatem, conferendi auctoritate Apostolica huiusmodi reservatos canonicatus et praebendas necnon ecclesias aliaque beneficia ecclesiastica tunc vacantia, si cum cura XX vel sine cura XV librarum Turon. parvorum valorem non excedebant „personis idoneis etiam unum vel duo ecclesiastica beneficia obtinentibus vel exspectantibus.“

Inde iam apparat, Innocentium VI. animarum saluti ante omnia consulens pro parte sua Reservationum Apostolicarum numerum minuere studuisse; insuper idem Pontifex ne generalium quidem reservationum declarationes a praedecessoribus magna cum sollertia publicatas sc. quoad territoria in Italia superiore, media, infima vel in Sicilia insula sita videtur umquam prorogasse. [2]) Beneficiorum igitur reservationes a praefato Clemente VI. in dictis terris ultimo loco factae, in quantum adhuc investigare potui, die 14. Febr. 1348 exspiraverunt in Aquilegien. et Graden. patriarchatibus et Mediolanen. Ravennaten. Pisan necnon Januen. provinciis et in partibus Tusciae, die 6. Febr. 1345 in terris regni Siciliae citra Farum, die 1. Junii 1345 in ipsa insula Sicilia.

Urbanus Papa V. [3]) paulo post suae coronationis solemnia (1363 Jan. 5) omnes gratias exspectativas ab Innocentio VI. concessas revocavit per constitutionem „Ad ea per quae“ [4]), minime vero illas personas privavit suis

---

[1]) Cod. B. fol. 151—154. („Ad ea quae“.)
Cod. V. fol. 100 t⁰—101 t⁰.
P. VII. n⁰ 50.

[2]) Dictis provinciis, se satis providisse, forte censuit Romanus Pontifex, cum v. g. die 31. Maii 1353 Aegidio S. R. E. Cardinali Legato et totius Status Ecclesiastici in temporalibus vicario generali tribueret facultatem, Romanae Ecclesiae nomine regendi, gubernandi, iurisdictionemque plenariam exercendi, pacem et concordiam reformandi „in provincia Patrimonii Beati Petri in Thuscia, Ducatus Spoletani, Marchiae Anconae ac Romandiolae, Campaniae et Maritimae provinciis ac in civitatibus et terris et aliis omnibus Romanae Ecclesiae immediata subiectis etc. Magn. Bull. Rom. l. c. p. 503 sqq.

Renovavit etiam dictus Pontifex per constitutionem „Debemus subiectis“ — 1355 Jan. 21 — Litteras processus a Clemente V. et Johanne XXII. contra invadentes vel alias quomodolibet Siciliae regnum occupantes promulgati extenditque illas ad Beneventanam civitatem. — Ibidem p. 510. Denique per constitutionem „Ecclesiarum omnium“ — 1355 Oct. 6. — innovavit sententias Clementis VI. contra dantes vel acquirentes dominium aut iurisdictionem vel praeeminetiam super castris et locis Patrimonii Beati Petri in Tuscia aut quoquomodo ea occupantes, easque extendit ad alias provincias Status Ecclesiastici sc.: „ad Campaniae et Maritimae, ducatus Spoletani, Marchiae Anconitan., Massae Trebariae, terrae Sanctae Agathae et Romandiolae provincias, necnon ad Bretonorii et quondam Urbini ac Venaissini comitatus et ad Beneventan., Ravennaten., et Bononien., ac alias civitates, terras etc.“ quae Romanae Ecclesiae suberant immediate. — Ibidem p. 514.

[3]) Electus Avenione die 28 Sept. 1362 — coronatus die 6. Nov. e. a.
Inde ab Urbano V. non amplius in Registris Apostolicis sed ex Regulis Cancellariae Apostolicae quaerenda sunt decreta beneficiorum reservationem concernentia.

[4]) Cod. B. fol. 159—162 ad tramites const. Bened. XII. „Experimento didicimus“ l. c.
Lecascheux l. c. hanc Regulam non exhibet.
Ottenthal l. c. p. 16 n⁰ 10.
P. VII. n⁰ 51.

iuribus, quae auctoritate praedecessoris sui, Litteris tamen super gratiis tempore obitus ipsius Pontificis nondum confectis, exspectabant praebendas, dignitates, personatus vel officia aut alia quaecumque beneficia, dummodo illa pro tempore vacantia et eis debita ante diem 18. Nov. 1362 acceptassent in forma debita.[1])

Die vero 10. Junii 1363[2]) omnia beneficia ab ipso Pontifice collata declaravit reservata, etiamsi forte huiusmodi collatio „ex aliqua causa non valeret vel effectum sortiri non posset“.

Item patriarchales, archiepiscopales episcopales, abbatiales ecclesias, dignitates, personatus, canonicatus, praebendas aliaque beneficia, ab Innocentio VI. reservata et vacantia tempore obitus dicti Pontificis voluit esse affecta i. e. collationi Romani Pontificis omnino subiecta.[3])

Die 30. Junii 1363[4]) generaliter reservavit idem Pontifex beneficia collectorum et succollectorum.

Die 4. Aug. 1363[5]) ad vitae dies sibi reservavit omnes patriarchales, archiepiscopales et episcopales ecclesias omniaque monasteria tam virorum quam mulierum „etiamsi per priores, praepositos, priorissas, praepositissas consueverunt[6]) gubernari cuiuscumque ordinis exsistant quocunque modo et ubicunque nunc vacantia et in posterum vacatura“.

Insuper mandavit idem Romanus Pontifex, ut in Litteris Apostolicis super ecclesiarum et monasteriorum provisionibus conficiendis in posterum huiusmodi specialis reservatio semper enarraretur. Quae reservatio quamvis per se sit omnino generalis, tamen in quovis casu adhibita est quasi specialis. Nam quotiescumque provisum est ecclesiae cuidam per Sedem Apostolicam semper legimus, quod dicta ecclesia iam in antea „hac“ vel „ea vice“ reservata fuerit dispositioni Sedis Apostolicae. Stabilita hac generali beneficiorum reservatione pro tota Ecclesia mirum non est, cur ceterae reservationes generales in diversis territoriis Romanae Ecclesiae subiectis non amplius fuerint prorogatae.

Die 1. Sept. 1363[7]) reservavit sibi ad vitae dies provisionem omnium beneficiorum Cardinalium necnon Officialium Apostolicorum i. e. vicecancellarii, camerarii, notariorum, auditorum litterarum

---

[1]) Nominata sit hoc loco etiam constitutio Urbani V. legenda in Cena Domini die 30. Martii 1363 facta in securitatem accedentium ad Curiam Romanam vel recedentium ab eadem. — P. VII. n⁰ 52. Quam necessaria huiusmodi constitutio dictis temporibus fuerit apparet ex diversis iniuriis Romipetis illatis cf. Lecascheux l. c. n⁰ 964. Cf. etiam constitutionem praedicti Pontificis „Apostolatus officium“ sc. iurisdictionem camerarii S. R. E. continentem contra piratas nova pedagia imponentes. — 1363 Oct. 12 — Magn. Bull. Rom. l. c. p. 520.

[2]) Cf. Ottenthal l. c. p. 17 n⁰ 16b; in Cod. V. legimus „III. Id Junii“ et verbum „dictum“ omittitur.

[3]) Cf. Reg. Aven. Urb. V. t. 4 fol. 580 t⁰. („Dudum fe. re. Innocentius PP. VI.“)
Cod. B. fol. 154 n⁰ 130.
Cod. V. fol. 101 t⁰.

[4]) Cf. Ottenthal l. c. p. 15 n⁰ 5a.

[5]) Ibidem p. 17 n⁰ 18.

[6]) In Cod. V. scriptum videmus „vel consueverint.“

[7]) Ottenthal l. c. p. 18 n⁰ 19.

contradictarum et Palatii Apostolici causarum auditorum, correctorum et scriptorum Litterarum Apostolicarum et Poenitentiariae Apostolicae necnon abbreviatorum, commensalium et aliorum quorumcunque capellanorum Sedis Apostolicae et quorumcunque Legatorum sive Nuntiorum et in terris Romanae Ecclesiae rectorum et thesaurariorum, per ipsum dominum Urbanum vel praedecessores suos specialiter deputatorum vel ab eo deputandorum in posterum, sine discrimine ubicumque et quocumque modo vacarent vel essent vacatura dicta beneficia.[1]) Maximi etiam momenti erat id, quod praefatus Pontifex ordinaverat de personis, quae in casu, quo a Sede Apostolica obtinebant gratiam, sua sponte se offerebant ad beneficia, quae pro tempore possidebant, „ex nunc" dimittenda vel si ipse pontifex scripsit „volumus quod ex nunc dimittas beneficium"[2]) sive supplicantes erant in Curia sive extra, quorum omnia beneficia „ab illa die" sc. qua concessa erat gratia habebantur reservata dispositioni Sedis Apostolicae.[3])

Die 4. Nov. 1363[4]) dictus Urbanus V. ad vitae dies fecit generales reservationes ad tramites capitis „Ad regimen" „sicut inibi continetur" cum extensione ad beneficia succollectorum. Eodem[5]) die eodemque modo reservavit omnes patriarchales, archiepiscopales, episcopales ecclesias valorem ducentorum florenorum excedentes necnon omnia monasteria virorum valorem centum florenorum cxcedentia vacantia et in posterum vacatura i. e. reservationem generalem die 4. Aug. e. a. publicatam tantum quoad sedes vel monasteria virorum maioris valoris restrinxit.

Die vero 28. Julii 1366[6]) expresse ordinavit, quod in casu, quo ipse beneficium alicuius personae reservabat pro alio „dum vacabit per contractum matrimonii personae obtinentis" illud iam erat affectum „a die reservationis huiusmodi" sc. non tantum a die vacationis huiusmodi beneficii.

Item die 17. Dec. 1367[7]) sibi reservavit omnes canonicatus, praebendas, dignitates, personatus, officia, ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica saecularia et regularia c. cura vel s. cura quorumcunque curialium Curiam Romanam sequentium vel in loco unde ipsa recedit remanentium infirmi „quantumcunque[8]) locus ubi decedunt ab ipsa Curia sit remotus" vacantium vel vacaturorum causa mortis praedictorum officialium.

Ex constitutione „Dudum in Urbe"[9]) (1370 Julii 28.) certo tantum scimus, praefatum Pontificem die 8. Martii 1368 eodem tempore, quo

[1]) Hac constitutione renovatur ex parte c. „Ad Regimen", quod erat tantum temporale.

[2]) Haec ultima verba reperiuntur in omnibus fere rescriptis pontificiis, in quantum rem beneficiariam attingunt.

[3]) Cf. Ottenthal l. c. n⁰ 21 (1363 Sept. 22.).

[4]) Ibidem l. c. p. 15 n⁰ 5.

[5]) „ „ „ n⁰ 6.

[6]) „ „ „ p. 20 n⁰ 28.

[7]) „ p. 32 n⁰ 38.

[8]) His verbis auxit ordinationes capitis „Ad regimen"; curialium enim beneficia eo tantum casu erant reservata, si possessores in locis ultra duas dietas ab eadem Curia non remotis forsitan decesserint, priusquam ad ipsam Curiam redirent.

[9]) Reg. Vat. t. 250 fol. 132t⁰ (de Curia).
P. VII. n⁰ 53.

Romae versabatur, reservasse omnes dignitates, personatus, officia ceteraque beneficia ecclesiastica saecularia et regularia c. cura vel s. cura tunc in praefata Urbe quomodocunque vacantia et in antea vacatura. Postea vero sc. 29. Julii 1370[1]) Urbe iam relicta suo in spiritualibus vicario Romae constituto liberam denuo permisit collationem beneficiorum titulorum Cardinalium S. R. E. et capellanorum papalium, reliquis vero reservationibus in suo valore remanentibus.

Gregorius Papa XI.[2]) iam die 3. Jan. 1371[3]) i. e. ante suae coronationis solemnia magnam partem Regularum Cancellariae suorum praedecessorum sc. Johannis XXII., Benedicti XII., Clementis VI., Innocentii VI., Urbani V. usque ad praedecessoris sui Regulam contra „non parentes processibus Apostolicis"[4]) cum certis modificationibus[5]) approbavit. Cum enim antecessoris sui vestigia subsequens beneficia collectorum reservaret, 31. Dec. 1370[6]) beneficia succollectorum ab eadem reservatione expresse deliberando liberavit. Insuper reservationem generalem ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium necnon episcopalium valorem ducentorum florenorum excedentium et monasteriorum virorum valorem centum florenorum excedentium a praedecessore promulgatam non amplius renovavit[7]), sed eodem die sc. 3. Jan. e. a. dictas ecclesias et monasteria sine discrimine quoad valorem quocunque modo et ubicunque vacantia vel vacatura sibi ad vitae dies reservavit, monasteriis, prioratibus atque praeposituris mulierum tantum exceptis.[8])

Insuper revocavit idem Gregorius XI. omnes exspectationes per praedecessorem suum concessas, in quibus ius in re nondum erat quaesitum.[9])

Porro renovavit etiam generalem reservationem ab Urbano V. die 1. Sept. 1363[10]) publicatam sc. quoad beneficia curialium.

---

[1]) Ibidem.

Hoc loco in memoriam revocare liceat facta sequentia:

1367 Aprilis 30 — Urbanus V. iter Romanum iniit.

" Octobris 16. — Romam venit.

1370 Sept. 24. — Urbe iterum relicta Avenionem pervenit, ubi die 19. Dec. e. a. diem clausit extremum.

[2]) Electus Avenione die 30. Dec. 1370 — coronatus die 5. Jan. 1371.

[3]) Cf. Ottenthal l. c. p. 29 n⁰ 32.

[4]) Ibidem p. 22 n⁰ 36.

[5]) Ibidem p. 26—29 n⁰ 1—32.

[6]) Ibidem p. 28 n⁰ 15.

Ex verbis „de succollectorum voluit deliberare" satis apparet, de unaquaque Regula suorum praedecessorum coram Romano Pontifice, maturo praehabito consilio, pro temporum necessitatibus sedulo fuisse deliberatum.

[7]) Ibidem p. 28 n⁰ 11.

[8]) Ibidem p. 28—29 n⁰ 22, 22 a.

[9]) Ibidem p. 28 n⁰ 19.

Cod. B. fol. 164 n⁰ 138. („Nuper intendentes").

De iis, qui vi Litterarum exspectativarum ius in re iam possidebant, consule Ottenthal l. c. p. 28 n⁰ 17, 19.

[10]) Ibidem p. 29 n⁰ 23.

Deinde idem Pontifex — in hac quoque parte ordinationes Urbani V. sequens — dispositioni suae reservavit omnia beneficia, quae per assecutionem aliorum „ex nunc" erant dimittenda eademque etiam in hoc casu declaravit affecta „si illa per obitum obtinentis vel alias quam per assecutionem ipsam vacare contigerit„.[1])

Similiter eodem die (sc. 3. Jan.) renovavit reservationem praedecessoris sui circa beneficia vacatura ex causa contracti matrimonii[2]) — ita tamen, ut illa haberetur specialis.

Postea die 4. Jan. reliquae Regulae[3]) Cancellariae Apostolicae ab Urbano V. editae ab eius successore cum quibusdam modificationibus[4]) approbatae sunt.

Item die 9. Jan. e. a. iterum dispositioni suae reservavit canonicatus, praebendas, dignitates, personatus vel officia ceteraque beneficia ecclesiastica saecularia et regularia cum cura vel sine cura tempore obitus praedecessoris vacantia — ergo etiam nondum reservata — attamen non omnia sed „illa videlicet, in quibus idem dominus noster providendo seu mandando provideri de illis huiusmodi reservatione voluerit uti."[5])

Deinde eodem die declaravit, omnes canonicatus et praebendas ac dignitates, personatus, officia ceteraque beneficia ecclesiastica saecularia et regularia c. cura et s. cura iam ab Urbano V. reservata et tempore obitus eiusdem vacantia remansisse dispositioni suae omnino reservata.[6])

Ultimo loco die 30. Martii 1374[7]) pro tempore pestis tunc grassantis sibi reservavit omnes dignitates, personatus, officia ac beneficia ecclesiastica saecularia et regularia cum cura vel sine cura „quorumcunque curialium et aliorum ad Romanam Curiam pro suis negotiis accedentium" qui forte morerentur in locis a Curia ultra duas dietas legales non remotis, ubi ipsi dicta beneficia vel dignitates etc. obtinerent vel in posterum essent assecuturi, dummodo ad ea se contulissent cum intentione ad Curiam ipsam proxime redeundi.[8])

---

1) Ibidem n⁰ 24.
2) „ n⁰ 29.
3) „ n⁰ 32 a.
4) „ p⁰ 30 n⁰ 33, 34, 35.
5) Ibidem l. c. n⁰ 36.
Huiusmodi reservatio ab antecessoribus suis nunquam facta est.
6) Ibidem l. c. n⁰ 37.
Die 25. Martii 1372 publicavit dictus Pontifex Bullam legendam in Cena Domini. Magn. Bull. Rom. l. c. p. 539 sqq.
7) Ibidem p. 41 n⁰ 76.
8) Hanc ultimam clausulam in similibus decretis autecessorum nullibi reperimus.

VI.

Adnotationes

ad textum quattuor capitum Corporis iuris canonici partim e Registris Vaticanis vel Avenionensibus partim e Codd. B; V; S; V_1; V_2; V_3; V_4; depromptae.

Capitum textus, qui ad infrascriptum commentarium adhibetur, assumptus est ex editione Parisiensi (1585) Decretalium Gregorii PP. IX. necnon ex Extravagantium collectione ab Aemilio Friedberg (1881) publicata.

Verba pinguioribus typis impressa repraesentant textum originalem vel partes decisas.

1.

c. Postulasti. 27. X. de rescriptis I. 3.

1214 Jan. 8.
Reg. Vat. t. 8 fol. 168 ep. 165.
Codd. V_1; V_2; V_3; V_4.

Idem episcopo Veratisamensi.[1]

Postulasti per sedem Apostolicam edoceri, utrum alicuius ecclesiae perpetuo vicario[2], de proventibus vicariae, bonisque paternis habenti, unde valeat commode sustentari, tenearis per illam formam[3] communem [cum secundum apostolum[4]] in ecclesiastico beneficio providere. Ad quod sic duximus respondendum, quod cum per formam praedictam necessitatibus pauperum clericorum [qui nullum sunt ecclesiasticum beneficium[5] assecuti[6]] sedes Apostolica duxerit succurrendum, perpetuus vicarius [nisi de vicaria fecerit[7] mentionem] commodum reportare non debet de huiusmodi litteris, utpote veritate tacita, impetratis. Non enim beneficio[8] carere debet

[1] Wratislauiensi — Reg. Vat. — ergo pro certo scimus, hoc caput et sequens ex Litteris Apostolicis ad episcopum Wratislaviensem sc. Laurentium directis duxisse originem.
Veratismensi: V_1; Veratisamensi: V_2; V_4; Venatisamensi: V_3.

[2] vicario perpetuo: V_4.

[3] communem formam — Reg. Vat.

[4] i. e. qui altari servit, de altari vivere debeat et qui ad onus eligitur repelli non debeat a mercede. — Baluzius, Epist. Innoc. III. t. I. p. 42 ep. 76.

[5] beneficium ecclesiasticum: V_1; deest „ecclesiasticum" V_3.

[6] sicut ibidem exprimi consuevit — Reg. Vat.

[7] faciat: V_1.

[8] carere beneficio ecclesiastico dici debet — Reg. Vat.
carere beneficio debet dici: V_1; V_2.
carere debet dici beneficio ecclesiastico: V_3.
carere beneficio ecclesiastico debet dici: V_4.

dici, cui competenter de perpetuae vicariae proventibus est provisum. Et pro habente[9]) beneficii sufficientis subsidium, ex certa scientia super obtinendo alio[10]) beneficio de levi non scribimus, quin faciamus de primo in nostris litteris mentionem.[11])

2.

c. Vacante. 26. X. de praeb. et dign. III. 5.

1214 Jan. 8.
Reg. Vat. t. 8 fol. 168 ep. 166.
Codd. V_1; V_2; V_3; V_4.

Idem.[1])

Vacante quadam praebenda[2]) in ecclesia tua, duas ex ea constituens, ad illas de consensu[3]) capituli tui duos canonicos assumpsisti, quorum altero[4]) viam universae carnis ingresso, praebendam, quam defunctus[5]) habuerat, quidam clericus nomine Hippolytus[6]), fuit auctoritate sedis Apostolicae assecutus. Verum cum idem Hippolytus[7]) te super integritate[8]) praebendae per quasdam nostras litteras inquietet et alius idem ius adversus te se habere proponat, quid facere debeas,[9]) requisisti.[10]) Super quo[11]) sic duximus respondendum, quod, cum Turonen. statuta concilii sectionem inhibeant praebendarum, teneris utrique de his quae vacare contigerit,[12]) integrare praebendam, nisi[13]) rationabili causa de vacante supradicta[14]) praebenda duae fuerint constitutae, ac tot sint utriusque proventus, quod per utramque sit utrique provisum in beneficio competenti.[15])

---

9) habenti: V_1; V_2; V_3.
10) beneficio alio: V_1.
11) Tu denique frater episcope, super te ipso etc. Datum Laterani VI. Idus Januarii pontificatus nostri anno sextodecimo. — Reg. Vat.
1) Eidem — Reg. Vat. (sc.: Laurentio epo Wratislavien.)
Idem Imolen. (!) epo.: V_3
2) In ecclesia tua prebenda — Reg. Vat.
3) assensu — Reg. Vat. V_1; V_2; V_3; V_4.
4) apud sedem apostolicam — Reg. Vat. cf. Phillips l. c. V, 510 n⁰ 37.
5) clericus: V_1.
6) Ypolitus nomine — Reg. Vat. nomine Ypo. V_1; nomine Ypolitus V_2; V_3; V_4.
7) idem Y. — Reg. Vat. V_1; V_2; V_3; V_4.
8) integracione — Reg. Vat.
9) debeat: V_2.
10) postulasti per sedem apostolicam edoceri — Reg. Vat.
11) fraternitati tue — Reg. Vat.
12) contingit: V_1.
13) forte — Reg. Vat.
14) prebenda predicte due — Reg. Vat.
15) Tu denique frater episcope super te etc. Datum Laterani ut supra. — Reg. Vat.

3.

c. Ex debito. 4. de elect. in Extrav. Comm. I. 3.

Cod. B. fol. 65—67.
Cod. V. fol. 68 sq.

Ex debito[1]) pastoralis officii, nobis quamquam immeritis superna dispositione commissi, periculis animarum et ecclesiarum ac monasteriorum dispendiis, quae ob ipsorum vacationes diutinas ipsis solent frequentius provenire, congruis remediis, (quantum nobis ex alto conceditur,) salubriter occurrere intendentes, ut celerius et utilius provideatur ecclesiis ac[2]) monasteriis ante dictis, et ut Romanae ecclesiae, quae super ipsas ecclesias ac[3]) monasteria ex divina provisione obtinere dignoscitur[4]) principatum, honor debitus impendatur, praedecessorum[5]) nostrorum Romanorum Pontificum, praesertim felicis recordationis Bonifacii VIII., qui dignitates, personatus, ecclesias et alia[6]) ecclesiastica beneficia et Clementis V., qui tam huiusmodi dignitates, personatus, ecclesias, beneficia, quam cathedrales ecclesias quaslibet, monasteria, prioratus, administrationes et officia quaecunque, quae apud sedem apostolicam vacarent, provisioni apostolicae sub certis tenoribus reservaverunt, vestigiis inhaerentes, nos ex causis rationabilibus, quae ad id nostrum animum induxerunt, de fratrum nostrorum consilio nonnulla detrahendo, aliqua declarando et quaedam addendo de novo, episcopales et earum[7]) superiores sedes, monasteria et regulares[8]) ecclesias, ad quae hi, qui[9]) eis pro tempore praeficiendi sunt, etiam[10]) per electionem canonicam assumuntur, prioratus, officia vel administrationes eorundem, dignitates, personatus, praebendas, aliaque ecclesiastica[11]) beneficia cum cura vel sine cura, quocunque nomine censeantur, quae apud praedictam[12]) sedem vacant ad praesens, et ex nunc in antea, (donec Christi dignatio nos dignabitur universalis ecclesiae sponsae suae regimini praesidere,) vacare contigerit[13]) apud eam, provisioni nostrae de fratrum nostrorum[14]) consilio auctoritate apostolica reservamus. Huiusmodi autem sedes, monasteria, ecclesias, et

[1]) Hoc caput in Codd. B. et V. inscribitur: „Constitucio ex debito domini Johannis super reservacionibus per eum factis."

[2]) et: B.

[3]) et: B. — super ipsis ex (!) monasteriis ex divina V.

[4]) noscitur: B.

[5]) predecessorum quoque nostrorum: B; V.

[6]) et beneficia ecclesiastica C. V. qui . . . ecclesias et beneficia quam monasteria et prioratus, administraciones et beneficia ecclesiastica, quae apud sedem etc. B.

. . . qui dignitates personatus, ecclesias et beneficia alia quam cathedrales ecclesias quaslibet . . . (deest „Clem. V." etc.): V.

[7]) eorum (!): V.

[8]) ac seculares ecclesias: B; V.

[9]) que (!): V.

[10]) eciam qui (!) per electionem: B.

[11]) aliaque beneficia ecclesiastica: V.

[12]) dictam: B; V.

[13]) contigerit vacare apud eam: B.

[14]) de fratrum eorundem consilio: B; V.

alia praefata beneficia ecclesiastica per mortem vel depositionem ac privationem eorum,[15]) qui ea obtinerent, per[16]) electionum cassationem, postulationum repulsionem, renuntiationem,[17]) quorumlibet provisionem,[18]) translationem sive per successionem[19]) muneris consecrationis aut benedictionis dudum a dicto Clemente praedecessore nostro promotis impensi, nisi de ipsis[20]) disposuerit praedecessor, et[21]) a nobis sive auctoritate nostra promovendis impendendi apud sedem ipsam vel etiam ubicunque aut quovis alio modo canonice[22]) vacare apud sedem intelligimus praelibatam. Episcopales insuper vel alias dignitates, ecclesias,[23]) monasteria et alia praedicta fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium apud dictam sedem per eorum obitum vacare censemus, sive inibi sive[24]) alibi ubicunque ipsos migrare contigerit de hac luce. Et hoc idem in dignitatibus et beneficiis quibuslibet,[25]) [ut de aliis praemittitur,[26])] officialium nostrorum, videlicet vicecancellarii, eiusdem ecclesiae camerarii, notariorum, auditoris contradictarum,[27]) correctorum,[28]) scriptorum literarum, ac poenitentiariorum nostrorum, necnon abbreviatorum curiae Romanae locum sibi volumus vindicare. Rursus huius[29]) nostrae reservationis edictum ad dignitates et alia iam dicta capellanorum nostrorum commensalium et quorumlibet aliorum, ratione officii[30]) vel ex causa legitima in dicta curia morantium, quando a nobis pro nostris et eiusdem sedis negotiis prosequendis de ipsa curia quocunque modo praemissi vel aliqui eorum transmissi aut[31]) legati vel nuntii fuerint et eos ubilibet ante[32]) ipsorum ad praefatam curiam reditum (durante legatione seu prosecutione ipsorum negotiorum) rebus eximi contigerit ab humanis, duximus extendendum. Et id ipsum etiam esse volumus in[33]) huiusmodi capellanis commensalibus[34]) etiamsi, ut praemittitur, nunc transmissi fuerint ubicunque et ipsos rebus eximi contigerit ab humanis. Ceterum edictum ipsum trahimus ad sedes, monasteria, et alia supradicta,

15) illorum, qui ea obtinent: V.

16) deest: B.

17) renuntiacionum: (!) B.

18) quorumlibet translacionem, provisionem: B.

19) susceptionem: B; V.

20) nisi de ipsis alias idem disposuerit predecessor: V

21) ea (!) V.

22) modo canonico: (!) B; V.

23) ecclesiasticas: B; V.

24) inibi aut alibi: B.

25) quibuscunque: V.

26) ac de aliis, ut premittitur, officialium: B; V.

27) Auditorum contradictarum abbreviatorum curie Romane (reliqua verba in medio posita desunt): V.

28) correctoris . . . et penitenciarie nostrorum: B.

29) huiusmodi nostre reservacionis in dicta curia quando: B. (multa verba sunt hoc loco omissa).

30) racione officii sedis negociis prosequendis de ipsa curia et: V. (desunt verba permulta).

31) vel legati vel nuncii fuerint ac eos ubilibet: B; V.

32) ante ipsorum negociorum rebus eximi: V. (multa verba desunt).

33) de: B.

34) deest: V.

quae, vivente adhuc dicto Clemente praedecessore nostro, usque ad eius obitum, nisi de ipsis per eum fuerit ordinatum, et deinde usque ad datam praesentium apud sedem vacaverint eandem, illaque vacare decernimus apud ipsam, dummodo in eis ius in re, licet ad rem non sit aliquibus acquisitum, decernimus extunc irritum et inane, si secus in praedictis et singulis eorum[35]) scienter vel ignoranter per quaecunque seu quoscunque apostolica vel alia[36]) quavis auctoritate attentatum fuerit vel contigerit in posterum attentari, non obstantibus[37]) piae memoriae[38]) Gregorii X., ac Bonifacii VIII. et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus super hoc editis, quatenus edicto[39]) essent et sunt contrariae memorato, ceteris in ipsis constitutionibus contentis in suo robore duraturis.[40]) Pensiones insuper annuas ab episcopis et eorum superioribus aliisque praelatis inferioribus, necnon quibuscunque capellanis,[41]) conventibus, collegiis[42]) vel singularibus personis factas et faciendas personaliter aliquibus ex eisdem cardinalibus seu quibusvis aliis ex praenominatis personis et pensiones praeterea[43]) seu assignationes quantitatum quarumlibet, super certis provinciis, dioecesibus, ecclesiis, monasteriis vel aliis ecclesiasticis locis aut ordinibus, etiam a quibusvis praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus factas, praemissis personis sive alicui earundem[44]) vel monasteria, prioratus,[45]) administrationes quaslibet, beneficia regularia vel alia quaelibet, quocunque nomine censeantur, non consueta ab olim clericis saecularibus assignari, huiusmodi personis vel alicui[46]) earundem collata sive concessa in commendam,[47]) vel alio quovis titulo ab eisdem praedecessoribus seu[48]) aliis episcopis vel superioribus praelatis, capitulis aut[49]) conventibus vel collegiis sub edicto praedicto nolumus aliquatenus comprehendi, quominus eis cedentibus vel decedentibus, sive illa quovis alio modo dimittentibus, monasteria ipsa,

---

[35]) deest: B; V.

[36]) vel quavis alia auctoritate: B; V.

[37]) obstante: B.

[38]) pie me. C. IV., G. X., ac Bo. VIII.: B; V.

[39]) edicto sunt obvie memorato: B.

[40]) „Quod ad prelaturas, prioratus, administraciones, obediencias et alia quevis officia quocumque nomine censeantur Cistercien. et aliorum similium ordinum ac monasteriorum, domorum et locorum religiosorum, in quibus persone ad predicta assumuntur, ponuntur et amoventur iuxta morem, qui in dicto Cistercien. ordine observantur et ad mendicancium ordines eorumque loca nostre non est intencionis extendi. In eadem quoque reservacione prelature et administraciones et officia predicatorum et minorum aliorumque ordinum mendicancium prefatorum minime includantur.“ — V. Haec verba omnia desunt in Cod. B. Cf. Friedberg l. c. n⁰ 19.

[41]) capitulis B; V.

[42]) collegibus (!) V.

[43]) pensiones predictas: B; V.

[44]) eorundem (!) V.

[45]) deest: V.

[46]) vel aliis clericis eisdem collata: B; V.

[47]) commende: B; V.

[48]) vel aliis seu episcopis: B; V.

[49]) deest: B.

prioratus, administrationes, beneficia ac loca huiusmodi ad ecclesias et monasteria sive alia loca religiosa vel alia ecclesiastica eorumque praelatos sive personas, ad quas antea eorum dispositio pertinebat seu quibus[49]) immediate subesse noscuntur, libere revertantur, nisi eis quid[50]) canonicum obstiterit vel de ipsis aliter duxerimus disponendum.

4.

c. Ad regimen. 13. de praeb. et dign. in Extrav. Comm. III. 3.

Reg. Aven. Benedicti XII. t. 1. fol. 377 n⁰ 36.
Codd. B. V. S.

Ad regimen[1]) ecclesiae generales, quamquam immeriti superna dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostrae diligentiae studium ad quarumlibet[2]) ecclesiarum et monasteriorum regimina et alia beneficia ecclesiastica iuxta divinum[3]) beneplacitum et nostrae intentionis affectum viri assumantur idonei, qui praesint et prosint committendis eis ecclesiis, monasteriis et beneficiis praelibatis. Praemissorum itaque[4]) consideratione inducti et suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, omnes patriarchales[5]), archiepiscopales et episcopales ecclesias et etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus et officia necnon canonicatus et praebendas et ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, saecularia et regularia, quaecunque et qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personae consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, nunc apud sedem apostolicam quocunque modo vacantia et in posterum vacatura: necnon per dispositionem[6]) vel privationem[7]) seu translationem, aut muneris consecrationis suspensionem,[8]) per felicis recordationis[9]) Joannem Papam XXII. praedecessorem nostrum seu eius auctoritate factas, et per nos seu auctoritate nostra in antea faciendas

49) quibusvis V.
50) aliquid: B; V.
1) Hoc caput in Codd. B. et V. iisdem verbis inscribitur sc.: „Reservacio beneficiorum Cardinalium, notariorum, cappellanorum (!) et aliorum Romane ecclesie officialium"; in Cod. S. legimus: „Extravagans ad regimen Benedicti pape XII." Ex Regia Bibliotheca Erfordensi dictum caput transcriptum accepi ab initio usque ad verba „in antea transire."
Codd. B. et V. hanc exhibent notitiam marginalem: Simile (sc. caput) fecit dominus Urbanus Papa V.
2) quorumlibet: S.
3) divina beneplacita: S.
4) namque: B; V; S.
5) episcopales, archiepiscopales: S.
6) deposicionem — Reg. Aven. B; V; S.
7) Codd. B. et V. in margine hoc loco haec retinent verba: Nota, quod dominus Urbanus V. declaravit et mandavit, quod sub dictione „privacionem" includeret eciam amocionem.
8) verba: „aut muneris consecracionis [susceptionem]" desunt — Reg. Aven. B; V; S
9) verba: „per fel. etc." usque ad „et per nos" desunt: B.

ubilibet; necnon[10]) si forsan tempore iam dicti praedecessoris aliqui in concordia vel discordia electi vel postulati fuerint, quorum electio cassata seu postulatio repulsa vel per eos facta renunciatio et admissa per ipsum praedecessorem vel auctoritate ipsius exstiterint seu quorum electorum vel postulatorum et in antea eligendorum seu postulandorum ac renunciantium electionem cassari vel postulationem repelli aut renunciationem admitti per nos vel auctoritate nostra contingeret[11]) apud sedem praedictam vel alibi ubicunque; ac etiam per obitum cardinalium eiusdem ecclesiae Romanae ac officialium dictae sedis videlicet camerarii, vicecancellarii, notariorum, auditorum literarum contradictarum et apostolici palatii causarum auditorum, correctorum[12]) et scriptorum literarum apostolicarum ac poenitentiarii[13]) praefatae sedis ac abbreviatorum necnon commensalium et aliorum quorumlibet capellanorum sedis eiusdem et etiam quorumcunque legatorum sive[14]) nuntiorum ac in terris ecclesiae Romanae rectorum et thesaurariorum per dictum Joannem praedecessorem vel nos specialiter deputatorum seu missorum hactenus vel a nobis deputandorum aut mittendorum in posterum, nunc vacantia et in antea vacatura, ubicunque dictos legatos vel nuncios seu rectores aut thesaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis; necnon quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam curiam venientium seu[15]) etiam recedentium ab eadem, si in locis a dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus iam forsan obierint[16]) vel eos in antea transire contigerit de hac luce, ac etiam simili modo quorumcunque curialium peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis seu alia quacunque causa ad quaevis loca secedentium, si [eos[17])] antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia, (ut praemittitur,) non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non exsistat ibidem, iam forsitan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri, nunc per obitum huiusmodi vacantia et in posterum vacatura; rursus monasteria, prioratus, decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, praebendas et ecclesias, ceteraque beneficia ecclesiastica, saecularia et regularia cum cura vel sine cura, quaecunque et qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personae consueverint et debuerint per electionem aut quemvis alium modum assumi, quae promoti per dictum praedecessorem vel eius auctoritate ad patriarchalium, archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum necnon monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc vacantia et qui per nos seu auctoritate nostra in posterum ad eadem regimina

---

10) ad que forsan — Reg. Aven. B; V; S.
11) continget — Reg. Aven. B; V; S.
12) correctoris: B.
13) penitenciarie — Reg. Aven. B; V; S.
14) seu — Reg. Aven. S. (sive: B; V.).
15) vel — Reg. Aven. B; S.
16) obierunt — Reg. Aven. B; V. (obierint S.).
17) si, antequam . . . decesserunt — Reg. Aven; B; V.

promovendi tempore promotionis huiusmodi obtinebunt[18]); necnon etiam quae per assecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum et praebendarum, ecclesiarum[19]) et beneficiorum aliorum per nos vel eundem Joannem praedecessorem seu auctoritate literarum nostrarum vel ipsius Joannis praedecessoris collatorum et conferendorum in posterum, nunc vacantia et in antea vacatura, plena super praemissis omnibus et singulis cum fratribus nostris collatione praehabita et matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni[20]) et provisioni nostrae, (donec miserationis divinae clementia nos universalis ecclesiae regimini praesidere concesserit,) de ipsorum fratrum consilio auctoritate Apostolica reservamus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super praemissis et quolibet eorum per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus quibuscunque constitutionibus a praedecessoribus Romanis Pontificibus editis, quatenus obsistere possent super enarratis articulis vel alicui sive aliquibus eorundem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reservationis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit iucursurum.

Datum Avinione III. Idus Januarii[21]) Pontificatus nostri anno primo MCCCXXXV.

---

18) obtinebunt quovismodo in posterum vacatura necnon — Reg. Aven. — obtinerent quovismodo etc. B; V.

19) et ecclesiarum ac beneficiorum — Reg. Aven.
ecclesiarum ac beneficiorum: B; V.

20) ac — Reg. Aven.

21) reliqua verba desunt — Reg. Aven.

VII.

Acta inedita.

1.

1324 Sept. 17.
Reg. Vat. t. 113 fol. 41 t⁰ n⁰ 331.

Capitulo ecclesie Olomucen.

Attendentes ecclesie Olomucen., si nunc vacat vel quamprimum ipsam vacare contigerit, de pastore ydoneo sicut eam plurimum indigere credimus providere, provisionem ejusdem ecclesie duximus ea vice disposicioni nostre et sedis apostolice reservandam, vobis et quibusvis aliis, ad quos electio, postulacio vel provisio pastoris in ea preficiendi alias pertinere dinoscitur, districtius inhibentes, ne ad electionem, postulacionem vel provisionem hujusmodi quoquomodo procedere presumatis ac decernentes irritum et inane, si secus per vos aut quosvis alios post reservacionem nostram hujusmodi scienter vel ignoranter quomodolibet fuerit attemptatum. Ne autem vos aut quicumque alii pretextu ignorancie reservacionis hujusmodi ad aliqua procedatis, reservacionem, inhibicionem et decretum nostra hujusmodi vobis et aliis, quorum interest, tenore presencium intimamus.

Dat. Avinione XV. kalend. Octobris a. nono.[1])

---

[1]) cf. J. Emler, Regesta Bohemiae et Moraviae III, 394 n⁰ 1009. (Extr.)
Dudik, Iter Romanum I, 93 n⁰ 77. (Extr.)

2.

1324 Sept. 22.
Reg. Vat. l. c. n⁰ 332.

Regi Boemie *(i. e. Johanni).*

Regalis excellencie litteras, per quas vacare nobis Olomucen. ecclesiam innotescens, provisioni nostre et sedis apostolice reservari ejusdem provisionem ecclesie petiisti, solita benignitate recepimus et contenta in eis intelleximus, diligenter volentes circumspectionem regiam non latere, quod, antequam presentarentur dicte littere memorate ecclesie, vacacione audita duxeramus disposicioni nostre et sedis ejusdem ea vice dictam ecclesiam reservandam, quamquam non intendimus ipsius provisionem ecclesie festinare.

Dat. Avinione X. kalend. Octobris a. nono.[1])

---

[1]) cf. Emler l. c. n⁰ 1011; (Extr.)
Dudik l. c. n⁰ 78; (Extr.)

3.

1324 Sept. 27.
Reg. Vat. l. c. n⁰ 333.

Eidem.

Serenitatis tue litteras, per quas nobis vacacionem Olomucen. ecclesie innotescens provisionem illius hac vice reservari disposicioni sedis apostolice petiisti, benigne recepimus et intelleximus diligenter. Regiam volentes providenciam non latere, quod ante receptionem litterarum ipsarum nos hujusmodi vacacione prestita disposicioni nostre duxeramus prefatam ecclesiam reservandam, quamvis non intendamus provisionem eidem faciendam ecclesie festinare. Quocirca tuam celsitudinem exhortamur, quatenus personam tibi gratam et idoneam, que ad honorem dei et ipsius utilitatem ecclesie absque nostre consciencie lesione in eadem ecclesia prefici valeat nobis studeas nominare.

Dat. Avinione V. kalend. Octobris a. nono.[1])

---

[1]) Cf. Emler l. c. n⁰ 1014. (Extr.)
Dudik l. c. n⁰ 79. (Extr.)

4.

1333 Maii 2.
Reg. Vat. t. 117 n⁰ 563.

Eidem Regi *(i. e. Franciae).*

Ad ea, que, fili carissime, super ordinacione ecclesie Nivernen. circumspectio regia nobis scripsit, breviter respondemus, quod, antequam recepissemus super hoc litteras regias, propter multorum importunam instanciam simul quasi instancium pro diversis, deo promisimus, quod nos non intromitteremus de dicta ecclesia ista vice, intendentes, quod capitulum, ad quos [sic!] electio de iure pertinet, prout videretur eis expedire ecclesie ordinaret, quare nos habeat providencia regia super hoc excusatos.

Datum Avinione VI. non. Maii a. decimo septimo.

5.

1321 Sept. 9.
Reg. Vat. t. 111 fol. 94 t⁰.

Ad perpetuam rei memoriam.

Militanti ecclesie disponente domino licet immeriti presidentes, circa curam omnium ecclesiarum solercia reddimur indefessa soliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum crediti nobis gregis dominici custodiam viriliter gerere divina cooperante clemencia studeamus et quamquam assidue circa

commoda singulorum intenta solicitudine vigilemus, tamen erga illas, quas nostre provisionis vigilancia magis indigere conspicimus, libenter convertimus consideracionis aciem mentis nostre. Sane ad nostri apostolatus noticiam perlato, quod ecclesia Iporien. in Mediolanen. ecclesia constituta multas oppressiones et varia incommoda incurrit hactenus propter malignorum incursus et similibus exponitur incessanter, a quibus non poterit de facili relevari, nisi eidem per oportune provisionis remedium succurratur. Nos volentes eidem paterna diligencia, quantum nobis ex alto permittitur, providere, prefatam ecclesiam et provisionem eiusdem secundum cor nostrum de pastore ydoneo faciendam, si vacat ad presens vel quam primum eam vacare contigerit, disposicioni nostre et sedis apostolice auctoritate apostolica reservamus, hac vice decernentes ex nunc irritum etc.... attemptari. Non obstantibus . . . impediri. Nuli ergo etc.

Datum Avinione V. idus Septembris a. sexto.

6.

1322 Julii 30.
Cod. B. fol. 68.[1])

Reservacio in Patriarchatu Aquilegen. ac Mediolanen. Ravennaten. Januen. et Pisan. provinciis.

Ad futuram rei memoriam.

In apostolice solicitudinis specula super universas orbis ecclesias divina providencia quamvis immeriti constituti, ad hoc desideriis promptis intendimus et ferventibus studiis laboramus, ut ecclesie pastorum regiminibus destitute non pateant oppressorum incursibus, ut in ovile dominicum per impressionem nefariam et procacem potenciam minus canonicus habeatur ingressus. Statu igitur patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, aliarumque collegiatarum ecclesiarum necnon abbaciarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum locorum ecclesiasticorum quorumlibet secularium et regularium, exemptorum et non exemptorum, ad quorum regimina per electionem prelati consueverunt assumi, in patriarchatu Aquilegen. necnon Mediolanen. Ravennat. Januen et Pisan. provinciis consistencium, quas et que frequenter prout experiencia docuit rectroacti et hucusque continuata malicia temporis in earum provisionibus variis discriminibus[2]) noscitur subiecisse, nostre mentis obtutibus occurrente ac propterea similibus in posterum obviare periculis, donec faciente[3]) [sic!] domino sublata procella temporis impacati et[4]) eisdem ecclesiis et personis earum plena et in eligendo securitas ministretur, solicitis affectibus cupientes, provisiones omnium patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium et aliarum quarumlibet ecclesiarum collegiatarum secularium et regularium necnon abbaciarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum quorumcunque piorum locorum exemptorum, et non exemptorum, consistencium in patriarchatu et

provinciis supradictis, ad quas vel ad quos seu que prelati consueverunt seu debent per electionem assumi nunc ubicunque vacancium et que deinceps vacare contigerit disposicioni et ordinationi nostre et sedis apostolice de fratrum nostrorum consilio usque ad eiusdem sedis beneplacitum de apostolice potestatis plenitudine reservamus, auctoritate apostolica universis ecclesiarum, abbaciarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum locorum ecclesiasticorum quorumlibet predictorum, capitulis, collegiis, conventibus et personis districtius inhibentes, ne in eisdem ad aliquam electionem, nominacionem, postulacionem seu provisionem quamcunque, cum tempus vacacionis ingruerit vel ad presens, si forsitan nunc immineat procedere quoquomodo presumant absque sedis eiusdem auctoritate et licencia speciali. Nos enim irritum decernimus et inane, quidquid contra reservacionem et inhibicionem nostras huiusmodi a predictis capitulis, collegiis conventibus et aliis quibuscunque personis quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc.

Dat. Avinione III. kal. Augusti a. sexto.[5])

---

[1]) Raynaldus, Annales Eccl. t. XV. ad a. 1322 partem tantum huius constitutionis exhibet sc. a verbis „in patriarchatu“ usque ad „reservamus.“

[2]) variis noscitur discriminibus — Reg. Vat.

[3]) faciente — Reg. Vat. l. c. n⁰ 74. — Reg. Vat. l. c. n⁰ 74; Cod. V. favente — Reg. Vat. l. c. n⁰ 95.

[4]) deest: Reg. Vat.

[5]) Cod. V. sine die.

7.

1323 Aug. 5.
Reg. Vat. t. 111 fol. 392 n⁰ 1634.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum ad statum parcium Lombardie disponente domino salubriter dirigendum convertentes studia mentis nostre, omnes et singulas cathedrales et collegiatas ecclesias, seculares et regulares in certis civitatibus et dioecesibus ac provinciis conscistentes (sic!) ex tunc usque ad biennium vacaturas, ut eis per providenciam sedis apostolice de pastoribus et prelatis provideretur ydoneis sancte Romane ecclesie fidelibus et devotis auctoritate apostolica reservantes, decrevimus irritum etc. . . . attemptari. Sane quia forsan posset in dubium revocari, ad quas collegiatas ecclesias predicta reservatio se extendat. Nos omnem dubitacionis materiam super hoc amputare volentes, reservacionem eandem ad cathedrales et abbaciales ecclesias ac monasteria, per abbates solita gubernari, dumtaxat tenore presencium declaramus extendi. Nulli ergo etc.

Dat. Avinione non. Augusti a. septimo.

8.

1325 Martii 27.
Cod. B. fol. 69—70.

Prorogacio reservacionum in Italia.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum videlicet Kl. Aprilis pontificatus nostri anno septimo nos de statu parcium Italie spiritualiter et temporaliter auctore domino promovendo solicite cogitantes ac cupientes, ut per providenciam sedis apostolice de pastoribus et prelatis in partibus disponeretur predictis, qui nobis et ecclesie Romane devoti et fideles existerent et aliis scirent et possent preesse utiliter et prodesse, omnes et singulas cathedrales et collegiatas ecclesias seculares et regulares civitatis et[1]) dioecesis ac[2]) provincie Ravennat. extunc usque ad biennium vacaturas disposicioni nostre et eiusdem sedis apostolice auctoritate apostolica duximus reservandas, districtius inhibentes omnibus et singulis, ad quos provisio, electio, postulacio vel quevis alia predictarum ecclesiarum disposicio alias pertineret,[3]) ne ad provisionem, electionem, postulacionem vel aliam disposicionem illarum procederent quovis modo ac decernentes irritum et inane, si secus a quoquam super hiis quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit[4]) attemptari. Cum autem instet finis dicti biennii nosque velimus eisdem inducti consideracionibus super predictis ulterius paterne solicitudinis studio providere, reservacionem predictam ad duos annos continuos a fine dicti biennii numerandos auctoritate presencium prorogamus, volentes et decernentes reservacionem nostram usque ad biennium sicut premittitur prorogatam ad seculares et regulares tam cathedrales quam abbaciales et alias quascnmque collegiatas preterquam moniales et aliarum religiosarum mulierum ecclesias, exemptas et non exemptas, quibusvis declaracionibus nostris super hoc factis alias non obstantibus extendendam. Nulli ergo etc.

Dat. Avinione VI. kal. Aprilis a. nono.

Item eodem modo in civitate et dioc. ac provincia Aquilegen.
„ „ „ „ „ „ „ „ „ Mediolanen.
„ „ „ „ „ „ „ „ „ Pisan.
„ „ „ „ „ „ „ „ „ Januen.
„ „ „ „ „ „ „ „ „ Graden.

---

1) ac — Reg. Vat.
2) et — ibidem.
3) pertinerent — ibidem.
4) contingeret — ibidem.

9.

1325 Martii 27.
Reg. Vat. t. 113 fol. 174.

Legato Lombardie.

Dudum etc. *ut supra usque ad finem verbis competenter mutatis.*

Ne igitur aliquis pretextu ignorancie velamen excusacionis pretendere valeat in hac parte discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus in ecclesiis et locis dictarum civitatis et diocesis ac provincie, de quibus expedire cognoveris, prorogacionem reservacionis predicte facias publicari. Nos redditurus de publicacione huiusmodi per instrumenta publica, que inde fieri volumus, cerciores.

Item consimiles littere in civitate, diocesi ac provincia Mediolan.
Item in civitate, diocesi ac provincia Januen.
" " " " " " Pisan.
" " " " " " Aquilegen.
" " " " " " Graden.

Datum ut supra.

10.

1327 Martii 29.
Cod. B. fol. 70—71.

Prorogacio reservacionum in provinciis Italie.

Ad futuram rei memoriam.

Olim ad statum parcium Italie salubriter auctore domino promovendum nostre consideracionis intuitum dirigentes ac cupientes, ut in ecclesiis parcium earundem cathedralibus et collegiatis secularibus et regularibus tales preficerentur per providenciam sedis apostolice pastores et prelati, qui nobis et eidem sedi fideles existerent et devoti ac scirent et possent preesse utiliter et prodesse, hiis et aliis certis causis racionabilibus, que ad hoc nostrum animum induxerunt, omnes et singulas cathedrales et collegiatas seculares et regulares ecclesias civitatis et diocesis ac provincie Mediolanen. primo a Kl. Aprilis pontificatus nostri anno septimo usque ad duos annos extunc subsequentes proxime vacaturas, provisioni nostre ac sedis apostolice predicte auctoritate apostolica duximus reservandas, districtius inhibentes omnibus et singulis, ad quos provisio, electio, postulacio seu quevis alia disposicio ecclesiarum ipsarum alias pertineret, ne ad provisionem, electionem, postulacionem vel aliam predictarum ecclesiarum disposicionem procederent quoquomodo ac decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et subsequenter a fine dictorum duorum annorum usque ad biennium extunc numerandum

reservacionem predictam duximus per nostras certi tenoris litteras prorogandam. Sane, instante nunc fine dicti secundi biennii, nos eisdem moti consideracionibus et inducti, reservacionem, inhibicionem et decetum predicta usque ad duos annos a Kl. Aprilis proxime futuri extunc[1]) computandos auctoritate apostolica tenore presencium extendimus ac eciam prorogamus. Volentes ac decernentes, reservacionem ipsam ad seculares et regulares, tam cathedrales quam abbaciales ac alias quascunque collegiatas, preterquam monialium et aliarum religiosarum mulierum, ecclesias, exemptas et non exemptas, quibusvis declaracionibus nostris alias factis super hoc nequaquam obstantibus, extendendam. Nulli ergo etc. Datum Avinione IV. kal. Aprilis pontificatus nostri a. undecimo.

Item in Ravennat. civitatibus et diocesibus ac provinciis.
Item in Pisan. " " "
Item in Januen. " " "
Item in Aquilegen. " " "
Item in Graden. " "

[1]) continue: Reg. Vat.

11.

1327 Martii 29.
Reg. Vat. t. 114 n⁰ 217.

Legato Lombardie.

Olim ad statum parcium Italie etc. *ut supra verbis competenter mutatis.*

Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios in locis predictarum civitatis et diocesis ac provincie Ravennat. infra tue legacionis terminos consistentibus, de quibus tibi videbitur, extensionem et prorogacionem predictas et alia contenta in eisdem litteris, ut nullus pretextu ignorancie velamen excusacionis assumat, studeas publicare, faciendo de publicacione huiusmodi fieri publica instrumenta horum seriem continencia, que nobis mittere non postponas.

Item eidem legato in eodem modo in civitate ac dioc. et provincia Januen. sicut in secunda.
" " " " " " Ravennat. (sic!) sicut in executoria.
" " " " " " Mediolanen.

Item legato Tuscie in eodem modo in civitate etc. et provincia Pisan. sicut in executoria mutato nomine legati.

Dat. ut Supra.

12.

1329 Martii 28.
Cod. B. fol. 71.

Alia prorogacio reservacionum in provinciis Italie.

Ad futuram rei memoriam.

Circa statum parcium Italie salubriter auctore domino dirigendum convertentes dudum studia mentis nostre et cupientes, ut in ecclesiis parcium

earundem cathedralibus et collegiatis secularibus et regularibus tales per apostolice sedis providenciam circumspectam prelati preficerentur et rectores, qui nobis et sedi predicte fideles existerent et devoti ac scirent et possent eisdem presse utiliter ecclesiis et prodesse, hiis et aliis certis causis racionabilibus, que ad hoc nostrum animum induxerunt, omnes et singulas cathedrales et collegiatas ecclesias civitatis et diocesis ac provincie Aquilegen. per biennium prorogando successive usque ad instantis kalendas Aprilis de biennio in biennium per diversas nostras litteras inde confectas provisioni nostre et sedis eiusdem auctoritate apostolica duximus reservandas, districtius inhibentes omnibus et singulis, ad quos provisio, electio, postulacio seu quevis alia disposicio ecclesiarum ipsarum alias pertinebat, ne ad provisionem, electionem, postulacionem vel aliam predictarum ecclesiarum disposicionem procederent quoquomodo ac decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et insuper voluimus et decrevimus, per litteras novissime reservacionis et prorogacionis huiusmodi, reservacionem eandem ad seculares et regulares tam cathedrales quam abbaciales et alias quascunque collegiatas, preterquam monialium et aliarum religiosarum mulierum, ecclesias, exemptas et non exemptas, dictarum civitatis et[1]) diocesis ac provincie, quibusvis declaracionibus aliis factis super hoc non obstantibus, extendendam. Cum autem terminus ultime reservacionis huiusmodi per nos facte instare noscatur, nos eisdem moti consideracionibus et inducti, reservacionem, inhibicionem, voluntatem et decretum predicta usque ad duos annos ab eisdem Kl. Aprilis proximi instantis auctoritate apostolica tenore presencium, modo et forma expressis superius, extendimus et eciam prorogamus. Nulli ergo etc.

Datum Avinione V. kal. Aprilis a. tercio decimo.

Item in eodem modo in Mediolanen. civitatibus et diocesibus et provinciis.

= = = = = Januen. = = = = =

= = = = = Pisan. = = = = =

= = = = = Ravennat. = = = = =

= = = = = Graden. = = = = =

1) deest Reg. Vat.

13.

1331 Martii 27.
Reg. Vat. t. 116 fol. 160 n⁰ 795.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum circa statum parcium Italie salubriter auctore domino dirigendum diligentibus studiis intendentes et cupientes, quod in[1]) ecclesiis parcium ipsarum cathedralibus et collegiatis secularibus et regularibus prelati et rectores per apostolice sedis providenciam circumspectam preficerentur idonei, qui nobis et eidem sedi fideles existerent et ipsis

ecclesiis preesse possent utiliter et prodesse, hiis et aliis certis[2]) consideracionibus, que ad id nostrum animum induxerunt, omnes et singulas cathedrales, abbaciales et alias[3]) collegiatas ecclesias, seculares et regulares, exemptas et non exemptas, in civitate, diocesi et provincia Aquilegen.[4]) consistentes, preterquam monialium et aliarum religiosarum mulierum,[5]) disposicioni nostre et sedis eiusdem duximus diversis temporibus per nostras inde confectas litteras auctoritate apostolica reservandas, districtius inhibentes omnibus et singulis, ad quos electio, provisio, postulacio seu quevis alia disposicio earundem ecclesiarum[6]) alias pertinebat, ne ad provisionem, electionem, postulacionem vel aliam ecclesiarum ipsarum disposicionem, cum eas vel earum aliquam vacare contingeret, procederent quovismodo ac decernentes extunc irritum et inane, si secus[7]) per quoscumque super hiis quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Sane, cum ultime reservacionis per nos facte, ut prefertur, de dictis ecclesiis terminus[8]) sit in Kl. mensis Aprilis futuri proximo[9]) terminandus, nos, adhuc eisdem moti consideracionibus et inducti, reservacionem, inhibicionem et decretum predicta usque ad biennium ab eisdem Kl. in antea computandum auctoritate predicta tenore presencium, modo et forma expressis superius, extendimus ac eciam prorogamus. Nulli ergo etc.

Datum Avinione VI. kal. Aprilis a. quinto decimo.

In eodem modo in civitate, diocesi ac provincia Januen.
= = = = = = = = Mediolanen.
= = = = = = = = Ravennat.
= = = = = = = = Graden.
= = = = = = = = Pisan.

---

1) deest: B; V.
2) consideracionibus certis: B; V.
3) alias quascunque: B; V.
4) Mediolanen: B; V.
5) mulierum ecclesias: B; V.
6) ecclesiarum . . . disposicionem: V; — omnia verba in medio posita desunt.
7) super hiis: B.
8) deest: V.
9) Kl. Aprilis mensis futuri proximi terminandis: B.

14.

1333 Martii 28.
Cod. B. fol. 76 n⁰ 75.

Prorogacio reservacionum factarum in civitate, diocesi et provincia Graden. anno decimo septimo domini Johannis pape XXII.

Johannes etc. Ad futuram rei memoriam.

Circa statum parcium Italie salubriter auctore domino dirigendum etc. . . . attemptari *(ut in decreto pro provincia Aquilegen. p. 65).*

Sane, quia ultime prorogacionis reservacionis, per nos de dictis ecclesiis facte, terminus est in Kl. Aprilis futuris proxime terminandus, nos adhuc prefatis moti consideracionibus et inducti, reservacionem, inhibicionem ac decretum predicta usque ad biennium ab eisdem Kl. in antea numerandum, modo et forma expressis superius, auctoritate prefata tenore presencium extendimus et eciam prorogamus. Nulli ergo etc.

Datum Avinione V. kal. Aprilis pontificatus nostri a. decimo septimo.

In eodem modo in Mediolanen. civitatibus, diocesibus et provinciis.
= = = = Aquilegen. = = = =
= = = = Januen. = = = =
= = = = Pisan. = = = =
= = = = Ravennaten. = = = =

15.

1329 Dec. 31.
Cod. B. fol. 72—73.

Restrictio reservacionum in Tuscia et terris Romane ecclesie subiectis.

Ad futuram memoriam.

Dudum ad statum[1]) pacificum et tranquillum parcium Tuscie et terrarum ad nos et Romanam ecclesiam spectancium solicitis studiis intendentes ac cupientes attentius, quod archiepiscopales et episcopales ac collegiate ecclesie necnon abbacie, monasteria, prioratus et alia loca ecclesiastica quecunque, secularia et regularia, exempta et non exempta, ad quorum regimina per electionem prelati consueuerunt assumi, in eisdem partibus ac terris consistencia, ubicunque dicte terre consisterent, cum illas seu illa pro tempore per cessum vel decessum seu alias quomodocunque pastorum vel administratorum regimine carere contingeret, personis pacem amantibus, nobis et eidem ecclesie Romane fidelibus et alias ydoneis nostre cooperacionis ministerio committerentur, provisionem omnium et singularum archiepiscopalium, episcopalium, aliarumque collegiatarum ecclesiarum necnon abbaciarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum locorum ecclesiasticorum quorumlibet predictorum, consistencium in partibus et terris predictis tunc vacancium et vacaturarum in antea, quoties eas vel ea quocunque modo vacare contingeret aut aliquam seu aliquod[2]) eorundem disposicioni nostre et sedis apostolice usque ad nostrum et ipsius sedis beneplacitum reservavimus de apostolice plenitudine potestatis, auctoritate apostolica universis ecclesiarum, abbaciarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum locorum ecclesiasticorum quorumlibet predictorum capitulis et collegiis, conventibus et personis districtius inhibentes, ne in eisdem ad aliquam electionem, nominacionem vel postulacionem seu provisionem quamcunque, si vacacionis tempus in eis vel aliqua seu aliquo ex eisdem tunc forsitan imminebat vel in posterum immineret, procederent quoquomodo ac decernimus extunc irritum et inane, quidquid[3]) contra huiusmodi reservacionem et

inhibicionem nostras a predictis capitulis, collegiis, conventibus ac aliis quibuscunque personis quavis auctoritate scienter vel ignoranter existeret attemptatum. Certis igitur racionabilibus causis et consideracionibus moti pariter et inducti, reservacionem, inhibicionem et decretum et beneplacitum supradicta usque ad duos annos a Kl. mensis Januarii nunc instantibus computandos dumtaxat volumus perdurare, nisi illa aliis racionabilibus *[causis]* forsan inducti, provideremus in tempus amplius proroganda. Voluimus insuper et decrevimus, reservacionem, inhibicionem, decretum et beneplacitum supradicta ad monialium et aliorum religiosarum mulierum ecclesias exemptas et non exemptas aliquatenus non extendi. Nulli ergo etc.

Datum Avinione 2. kal. Jannuarii pontificatus[4]) nostri a. quarto decimo.

[1]) a verbis „ad statum" usque „attemptatum" repetitur bulla „imminente nobis" Magn. Bull. Rom. IV, 287.

[2]) aliquid: V.

[3]) quicquam: V.

[4]) deest: V.

16.

1336 Febr. 3.
Reg. Aven. Bened. XII. t. 2. fol. 381.

Ad futuram rei memoriam.

Intendentes ecclesie Wratislauiensi, que infra regnum Polonie Romane ecclesie censuale consistit, quam primum ipsam Pastore vacare contigerit, per apostolice Sedis providenciam de persona secundum cor nostrum ydonea provideri, provisionem eiusdem ecclesie ex certis causis racionabilibus, que ad id nostrum animum induxerint (sic), disposicioni et ordinacioni nostre hac vice specialiter reservamus, inhibentes districtius dilectis filiis capitulo eiusdem ecclesie et quibusvis aliis, quos huiusmodi tangit negocium, ne ad aliquam electionem seu postulacionem aut provisionem de preficiendo eidem ecclesie Episcopo vel Pastore ea vice procedere quoquomodo presumant ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc.

Datum Avinione III. non. Februarii a. secundo.

17.

1335 — .
Cod. B. fol. 80—81.

Declaracio, quod reservaciones per dominum Johannem papam facte non fuerunt revocate.

Benedictus etc. Ad futuram rei memoriam.

Dudum felicis recordacionis Johannes papa XXII. predecessor noster nonnullas ecclesias, cathedrales, dignitates, personatus et officia

abbacias quoque et prioratus, decanatus et prepposituras et alia beneficia ecclesiastica regularia et secularia, quorum aliqua tunc vacabant et nonnulla orum, cum ea vacare contingeret, ordinacioni, collacioni, provisioni et disposicioni sue et sedis apostolice, dum ageret in humanis, specialiter reservavit, decernens extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum autem nonnulli prudencie proprie contra sapientis doctrinam minus provide innitentes, reservaciones huiusmodi per obitum predecessoris eiusdem fuisse presumpserunt[1]) (sic) et presumant asserere revocatas ac propter hoc per nonnulla capitula ecclesiarum taliter reservatarum ad electionem prelatorum earumdem ac etiam per nonnullos dyocesanos et ordinarios locorum et alios, ad quos alias dictorum beneficiorum provisi o, collacio seu quevis alia disposicio pertinebat, ad collacionem et provisionem illorum et per nonnullos alios ad permutacionem vel renunciacionem eorum, ut per hoc in alios transferrentur, in elusionem reservacionum huiusmodi sit processum. Nos ad presumptionem talium compescendam, qui super hiis apostolice sedis iudicium debuerant expectare omnemque ambiguitatem super premissis solvendam, reservaciones predictas, de quibus per literas vel regestra[2]) predecessoris eiusdem, que in archivis sedis apostolice facimus conservari, constare noscitur evidenter, auctoritate apostolica declaramus et decernimus, per eiusdem predecessoris obitum revocatas nullatenus extitisse, sed eas plenam habuisse et habere roboris firmitatem omnesque electiones collaciones, provisiones et permutaciones vel alias quascunque concessiones de illis per quoscunque absque auctoritate sedis predicte de facto presumptas nullas fore penitus et inanes, eas[3]) nichilominus, quatenus processerunt, de facto cassantes et revocantes omnino quinymmo cassas et irritas nunciantes. Nulli ergo etc.[4])

[1]) Idem: V!
[2]) registra: V.
[3]) easque: V.
[4]) item sine die: V.

18.

1335 Maii 18.
Cod. B. fol. 96 t⁰ 97.

Benedictus revocat commendas ecclesiarum et monasteriorum.

Benedictus etc. Ad perpetuam rei memoriam.

Super gregem dominicum nostre vigilancie divinitus creditum, vigilis speculatoris officium, prout nobis desuper conceditur, exercentes ad universas orbis ecclesias, tam seculares quam eciam regulares, aciem interne consideracionis extendimus et oportune provisionis remedia paterne diligencie studiis adhibemus. Suadentibus igitur certis racionabilibus causis, cum fratribus consulta et digesta deliberacione prehabita, omnes commendas de quibusvis cathedralibus ecclesiis

seu monasteriis aut[1]) quibuslibet prioratibus, locis religiosis necnon dignitatibus, personatibus, officiis vel beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus quorumcunque ordinum, quibuscunque nominibus censeantur, a quibuslibet predecessoribus nostris Romanis pontificibus, personis, cuiuscumque status, ordinis vel condicionis existat per litteras apostolicas vel earum auctoritate sub quavis forma seu conceptione verborum factas, illis commendis de ecclesiis, que tituli cardinalium fore noscuntur ac de prefatis monasteriis, prioratibus, locis, dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis per eosdem predecessores eisdem fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus, qui nobiscum regiminis universalis ecclesie onera parciuntur, factis dumtaxat exceptis, de ipsorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine penitus revocamus et iuribus vacuamus et nichilominus ecclesias, monasteria, prioratus loca, dignitates, personatus, officia et beneficia supradicta ordinacioni et disposicioni nostre hac vice auctoritate apostolica reservamus, decernentes ex nunc fore irritum et inane etc. Nulli ergo etc.

Datum Avinione XV. kal. Junii pont. nostri a. primo.

[1]) ac V.

19.

1335 Dec. 18.
Cod. B. fol. 94—97.

Revocacio graciarum generalium et aliarum exspectacionum[1]) per predecessorem factarum.

Benedictus etc. Ad perpetuam rei memoriam.

Experimento didicimus, quod per importunam instanciam multi hactenus a nonnullis predecessoribus nostris Romanis pontificibus in multis et diversis ecclesiis atque locis per orbem diffusis super collacionibus, provisionibus, reservacionibus et concessionibus, canonicatuum, prebendarum, dignitatum, prioratuum, personatuum, officiorum, ecclesiarum, porcionum, prestimoniorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum vacaturorum, multas et diversas apostolicas literas impetrarunt, ex quorum impetrancium multitudine eedem ecclesie sunt plurimum pregravate. Nos igitur ob premissas et alias certas causas, que ad hoc racionabiliter nos inducunt, super hiis providere volentes, presentis constitucionis edicto omnes reservaciones et concessiones super canonicatibus, prebendis, dignitatibus, prioratibus, personatibus officiis, porcionibus, prestimoniis, ecclesiis parochialibus et ruralibus et aliis quibuscunque ecclesiasticis beneficiis vacaturis, secularibus et regularibus cum cura vel sine cura quocunque nomine censeantur et eciam collaciones seu provisiones super canonicatibus in cathedralibus seu collegiatis ecclesiis cum reservacionibus prebendarum dignitatum, personatuum, officiorum, porcionum prestimoniorum vel aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque

cum cura vel sine cura ac eciam reservaciones de certis et expressis huiusmodi beneficiis, cum vacarent per assecucionem pacificam alterius beneficii vel per munus consecracionis suscipiendum vel alio quovis modo, commissiones[2]) insuper facultatis seu potestatis quibusvis factas super huiusmodi ecclesiasticis beneficiis vacaturis auctoritate apostolica eciam ad nominacionem alterius reservandis aut eciam conferendis, in quibus nondum est in re licet ad rem alicui ius quesitum, commissiones quoque et mandata super recipiendis personis aliquibus in ecclesiis vel monasteriis sive locis aliis regularibus, que in eis minime sunt recepte, a quibuscunque predecessoribus nostris Romanis pontificibus factas seu facta concessas seu concessa quibuscunque personis, cuiuscunque condicionis, preeminentie, ordinis sive status per eorumdem predecessorum litteras sub quibuscunque tenore, modo, forma vel concessione verborum omnesque processus habitos per easdem, eciamsi in ecclesiis secularibus earum alique in canonicos sint recepte ac eciamsi per executores earum facte fuerint reservaciones, inhibiciones et decreti interposiciones aut si earum alique auctoritate dictarum litterarum in aliquibus ecclesiis secularibus ultra statutum canonicorum numerum in canonicos sint recepte, quantum ad capitulum et ad chorum et perceptionem distribucionum cottidianarum et plenitudinem iuris canonici habeant, sed in eis prebendas, dignitates, personatus sive porciones et alia beneficia, que dantur tantum existentibus de numero nunc expectent, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio revocamus, cassamus, irritamus et vacuamus, eaque cassa, irrita et vacua nunciamus et nullius existere firmitatis. Verum, si huiusmodi persone recepte ultra numerum distribuciones et alia, ut canonici de numero existentes, sic percipiunt, quod per cessionem vel decessum illorum, qui sunt intra numerum, ex vigore dictarum litterarum amplius assequi nil expectent, nisi distribucionum seu parcium suarum augmentum, cum forsan sic in ecclesia, in qua canonicorum non autem porcionum numerus vel prebendarum distinctio habeatur, quantoque inter pauciores eiusdem ecclesie dividuntur proventus tanto maiores fieri possunt singulorum percipiencium porciones, ad istos necnon ad eos, quibus de certis expressis beneficiis ecclesiasticis, que certo modo proponebantur vacare, datis super hoc per litteras dictorum predecessorum executoribus, ad illos eciam, quibus de certis et expressis huiusmodi beneficiis, cum vacarent per assecucionem pacificam alterius beneficii vel per munus consecracionis suscipiendum vel quovis modo alio, ut prefertur, et ad eos, quibus per dictos predecessores facte fuerant gracie cum reservacionibus prebendarum, dignitatum, personatuum, officiorum, prioratuum, ecclesiarum, porcionum, prestimoniorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum vacaturorum huiusmodi, que ante datam presencium vacaverint et adhuc vacant, et per impetrantes, quibus erant provisiones huiusmodi faciende a suis executoribus petitum fuerit, quod talia beneficia sic vacancia eis conferrent nec per eos stetit, quominus conferrentur eisdem; necnon ad eos, qui per litteras dictorum predecessorum in aliquibus ecclesiis in canonicos sunt recepti ac dignitates, personatus vel officia canonicis dumtaxat consueta conferri, dictarum litterarum vel alia quavis

auctoritate innibi fuerint assecuti, licet prebendas expectent, ad eos eciam, qui per litteras facultatis dictorum predecessorum in aliquarum ecclesiarum canonicos non apostolica sed auctoritate recipiencium sunt recepti, licet prebendas vel alia beneficia expectent ibidem, et ad eos, qui super receptione sua in ecclesiis vel monasteriis seu locis aliis regularibus, in quibus non erat certus canonicorum vel canonicarum[3]) vel monacharum seu monialium aut quarumvis aliarum personarum[4]) quocunque nomine nuncupentur numerus vel, si erat (sic!) et aliquis vel aliqua de numero predicto ante datam presencium defuerit vel adhuc desit, litteras apostolicas impetrarunt, si per eos vel eas non steterit, quominus recepti seu recepte fuerint in dictis ecclesiis, monasteriis sive locis presentem constitucionem volumus non extendi. Nos insuper irritum decernimus et inane etc.

Datum Avinione XV. kal. Januarii pontificatus nostri[5]) a. primo.

[1]) Verba „per pred. fact." desunt: V.
[2]) concessiones: Reg. Aven; Cod. V.
[3]) regularium vel monachorum — Reg. Aven.
certus canonicorum numerus vel canonicarum regularium vel monacharum seu monialium: V.
[4]) religiosarum — Reg. Aven.
[5]) Verba „pontificatus nostri" desunt — Reg. Aven.
in Cod. V. legimus „pontificatus anno".

20.

1336 Maii 6.
Reg. Vat. t. 131 ep. 108 fol. 32.

Ad futuram rei memoriam.

Circa confovendum et dirigendum statum terrarum, ecclesie Romane immediate subiectarum, pacificum non parum conspicimus expedire, quod in ecclesiis presertim cathedralibus et aliis precipuis locis ecclesiasticis, infra terras easdem consistentibus, prelati et rectores preficiantur, cum fuerit oportunum, ydonei, qui pacem et iusticiam diligant ac nobis et eidem Romane ecclesie fideles et devoti existant sciantque velint et possint eisdem ecclesiis et locis preesse utiliter et prodesse, hiis ergo et aliis certis consideracionibus, que ad id nostrum movent animum et inducunt, provisiones omnium et singularum archieepiscopalium, episcopalium et collegiatarum ecclesiarum ac abbaciarum, monasteriorum et prioratuum conventualium, regularium et secularium, exemptorum et non exemptorum, infra terras consistencium, nunc vacancium vel vacaturorum in antea, in quibus prelati seu rectores consueverunt per electionem assumi, quotiens ea aut eas vel eos aut aliquam, aliquid vel aliquam ipsarum vacare contigerit disposicioni nostre et sedis apostolice usque ad biennium, a data presencium computandum, auctoritate apostolica reservamus, universis ecclesiarum, abbaciarum, monasteriorum et prioratuum predictorum capitulis, collegiis, conventibus et personis districtius inhibentes, ne in eisdem ad electionem, postulacionem vel provisionem aliquam, si vacacionis tempus[1]) eis vel alicui ex eis ad presens immineat vel quotiens in posterum eodem durante biennio imminebit, presumant procedere[2]) quovis modo ac decernentes

extunc irritum et inane, quicquid contra reservacionem, inhibicionem et decretum[3]) nostra huiusmodi quavis auctoritate scienter vel ignoranter per quoscumque contigerit attemptari.

Ceterum volumus et nostre intencionis existit, eadem reservacionem, inhibicionem et decretum nequaquam extendi ad monasteria monialium et aliarum religiosarum mulierum nec ad ecclesias vel prioratus non conventuales seu quorum fructus, redditus et proventus annui summam quinquaginta floren. auri secundum estimacionem patrie non excedunt. Nulli ergo etc.

Datum Avinione II. non. Maii[4]) pont. nostri a. secundo.

[1]) deest: V.
[2]) procedere presumant: B; V.
[3]) In Cod. V. desunt verba a „decretum" usque ad „nequaquam" etc.
[4]) Februarii: V.

21.

1336 Oct. 23.
Cod. B. p. 93 sq.

Declaracio, quod beneficia, que debebant vacare per assecucionem aliorum beneficiorum, ante assecucionem huiusmodi resignata vel permutata, sunt apud sedem apostolicam reservata.

Benedictus etc. Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum nos certis ex causis etc. . . . *(fere eadem verba ac in decreto die 22. Sept. 1336 publicato.)*

Nos, super premissis providere volentes, auctoritate presencium declaramus, nostre intencionis fuisse et adhuc existere, quod eadem beneficia per reservacionem et decretum predicta adeo essent affecta, quod, etiamsi ante assecucionem[1]) prefatam per resignacionem simplicem factam vel alio quovismodo vacare contingeret,[2]) de ipsis per alium quam per nos non potuerit neque possit imposterum alicui provideri seu quovis alio modo disponi. Nos insuper etc. . . . incursurum.

Datum Avinione X. kal. Novembris pontificatus nostri a. secundo.

[1]) ante reservacionem et assecucionem pacificam per resignacionem etc.: V.
[2]) contingat: V.

22.

1340 Junii 28.
Reg. Vat. t. 128 ep. 74.

Ad futuram rei memoriam.

Tenorem quarundam litterarum fe. re. Johannis papae XXII. predecessoris nostri in eiusdem regestro repertum, de verbo ad verbum presentibus annotari fecimus, qui talis est. Johannes episcopus servus servorum dei. Ad futuram rei memoriam. In apostolice solicitudinis specula etc. usque ad: Datum Avinione III. kal. Augusti pontificatus nostri anno sexto. Decernimus itaque, tenorem eundem taliter annotatum illam fidem ubique tam in iudicio quam

extra iudicium posse facere et habere ac eandem vim eundemque vigorem ubique per omnia obtinere, quas et que originales littere dicti predecessoris exinde confecte possent facere ac haberent, si forent exhibite vel ostense ac eidem tenori stetur firmiter in omnibus sicut staretur eisdem originalibus litteris, ubicunque fuerit exhibitus et ostensus. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Datum Avinione IV. kal. Julii a. sexto.

23.

1338 Aprilis 9.
Cod. B. fol. 83.

Constitucio domini Benedicti legenda in Cena Domini.

Benedictus etc. Ad perpetuam rei memoriam.

Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, patris et filii et spiritus sancti, auctoritate quoque apostolorum Petri et Pauli ac nostra omnes hereticos, Gazaros, patarenos, pauperes de lugduno, Arnaldistas, Speronistas et passaginos et omnes alios, quocumque nomine censeantur, et omnes fautores, receptatores et defensores eorum; item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios [1]) et latrunculos marinos et omnes fautores, receptores et defensores eorum. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia imponunt. [2]) Item execramus et anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, lignamina vel alia prohibita deferunt Saracenis, quibus christianis impugnant. [3]) Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios bulle seu litterarum nostrarum. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad sedem apostolicam venientes vel recedentes ab ea necnon illos, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habentes, in eadem curia morantes temeritate propria capiunt, spoliant et detinere [4]) presumunt et qui talia fieri faciunt sive mandant.[5])

Item exc. et anath. omnes illos, qui per se vel [6]) alium seu alios quascumque personas ecclesiasticas vel seculares et ad Romanam curiam super eorum causis et negociis recurrentes illaque in eadem curia prosequentes ac procuratores, gestores, advocatos vel promotores ipsorum vel eciam auditores seu iudices, qui super dictis causis seu negociis deputantur occasione causarum vel negociorum huiusmodi verberant, mutilant vel occidunt, cuiuscunque preeminencie, dignitatis, ordinis, condicionis aut status fuerint predicta vel eorum aliqua committentes. Non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgenciis, eis vel eorum alicui seu [7]) aliquibus a predicta sede sub quavis forma vel tenore concessis, quod excommunicari non possint, que, ne [8]) contra huiusmodi nostras sentencias et processus, quominus includantur in eis, per ea valeant se tueri, quoad hoc prorsus tollimus et revocamus omnino, a quibus quidem [9]) sentenciis nullus per alium, quam per Romanum pontificem possit, nisi dumtaxat in mortis articulo constitutus, absolvi nec eciam tunc, nisi de stando mandatis ecclesie, satisfactione vel sufficienti caucione premissis. Eos vero, cuiuscumque fuerint preeminencie, dignitatis, ordinis condicionis aut status, qui contra tenorem

presencium talibus vel eorum alicui absolucionis beneficium de facto impendere presumpserint, excommunicacionis et anathematis sentencia innodamus eisque interdicimus predicacionis, lectionis, administracionis sacramentorum et audiendi confessiones officium, predicentes a parte transgressoribus et contemptoribus supradictis, nos gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, processuros. Ut autem huiusmodi nostri processus ad communem omnium noticiam deducantur, cartas sive membranas, processus continentes eosdem in maioris ecclesie Avinionensis appendi vel affigi hostiis sive liminaribus faciemus, que processus ipsos suo quasi sonoro preconio et patulo judicio publicabunt, ut predicti, quos ipsi processus contingent,[10]) nullam possint excusacionem pretendere vel ignoranciam allegare, quod ad eos processus huiusmodi non pervenerint vel quod ignoraverint eosdem, cum non sit verisimile, remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus fuerit publicatum.

Actum Avinione in palatio nostro apostolico in die Cene domini pont. nostri a. quarto.

1) cursores: V.
2) verba „Item“ usque ad „imponunt“ desunt in V.
3) „ „ „ „ „impugnant“ „ „ V.
4) dimittere (!): V.
5) sine mandato (!): V.
6) deest: V.
7) vel: V.
8) deest: V.
9) a quibusdam: V.
10) contigerit: (!) V.

24.*)

1341 Oct. 23.
Cod. B. fol. 106—108.

Constitucio, quod impetrantes in forma pauperum non admittantur in ecclesiis collegiatis, in quibus grossum prebendarum cum distribucionibus cottidianis excedunt summam litterarum ipsorum.[1])

Benedictus etc. Ad perpetuam rei memoriam.

Ad providam circumspectionem sedis apostolice pertinere dinoscitur inter personas ecclesiasticas litigiorum amputare materiam et occurrentes dubietatis scrupulos summovere. Nuper siquidem ad apostolatus nostri pervenit auditum, quod in nonnullis collegiatis ecclesiis fructus, redditus et proventus grossi singularium prebendarum ad decimam sunt taxati, distribuciones vero seu alii redditus et proventus, quos singuli dictarum ecclesiarum canonici preter grossos fructus predictos percipiunt, annuatim taxati ad decimam non[2]) existunt, et quod in aliis plerisque[3]) ecclesiis distribuciones seu proventus et redditus huiusmodi sunt taxati, sed grossi fructus[4]) taxati nequaquam existunt ac in multis aliis ecclesiis collegiatis nulla fructuum prebendarum et distribucionum, quas earum canonici particulariter percipiunt, habeatur[5]) ad decimam taxacio, sed omnes fructus, redditus et proventus capitulorum ecclesiarum ipsarum sunt taxati ad huiusmodi decimam in communi, quodque licet grossi fructus[6])

seu distribuciones, proventus et redditus[7]) singulorum canonicatuum et prebendarum dictarum ecclesiarum taxati ad decimam iuxta taxacionem huiusmodi vel secundum quantitatem, que est pro illis hactenus persolvi (sic) pro decima consueta, nequaquam excedant summas contentas, quoad beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura in litteris apostolicis, obtentis in forma secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis interdum dicta sedes scribere consuevit, tamen grossi fructus et distribuciones, proventus et redditus huiusmodi, taxati et non taxati, insimul computati necnon fructus, redditus et proventus ac destribuciones singulorum canonicatuum et prebendarum dictarum ecclesiarum, in quibus ipsorum particularis taxacio non habeatur ad decimam, ut prefertur,[8]) quod singuli canonici percipiunt annuatim predictas summas secundum distinctionem de curatis et non curatis beneficiis in litteris ipsis expresse[9]) excedere dinoscuntur et quod impetrantes litteras[10]) in forma premissa de canonicatibus et prebendis in ecclesiis ipsis pro tempore vacantibus summas easdem taliter excedentibus sibi fecerunt et faciunt per easdem litteras provideri, propter quod nonnulla dubia, lites, dissensiones et controversie sunt exorta. Volentes igitur super hiis licium et dubietatis cuiuslibet materiam amputare auctoritate apostolica presenti[10]) constitucione sanximus, ut nulli ex eis, qui impetraverunt hactenus vel in posterum impetrabunt a prefata sede litteras in forma predicta, ad canonicatus et prebendas ecclesiarum ipsarum, quorum grossi fructus, distribuciones, redditus et proventus dictas summas, ut prefertur, excedant, quomodolibet admittantur et quod huiusmodi littere necnon processus auctoritate earum[11]) habiti et habendi ad canonicatus et prebendas eosdem nullatenus extendantur. Presentem constitucionem eciam ad lites, causas et negocia sive per appellaciones vel alias quovismodo et ubicunque premissorum occasione suborta et pendencia volentes extendi, per constitucionem autem huiusmodi eis, qui in dicta forma litteras, ut premittur, impetrarunt et per eas sunt canonicatus et prebendas in eisdem ecclesiis pacifice assecuti et illis eciam qui nondum sunt ipsarum vigore beneficia assecuti, quoad illa[12]) beneficia, eis per dictas litteras competencia, nullum volumus preiudicium generari. Decernentes irritum et inane etc.

Datum Avinione X. kal. Novembris pontificatus nostri a. septimo.

---

* Haec constitutio apud Daumet l. c. n⁰ 896 publicata est e Registris Vaticanis, hoc loco cum variationibus apponitur secundum textum Codicum B. et V.

1) haec verba desunt in Reg. Vat.

2) requaquam: V.

3) plerisque aliis: Reg. V.

4) fructus grossi ad decimam: Reg. Vat.

5) habetur: Reg. Vat; V.

6) fructus grossi: Reg. Vat.

7) deest: V.

8) ut prefertur, ad decimam non habetur, quos: Reg. Vat.

9) expressam: Reg. Vat.

10) deest: V.

11) earum auctoritate: Reg. Vat.

12) alia: Reg. Vat.

25.

1342 Julii 19.
Reg. Vat. t. 147 fol. 6 n⁰ 9.

Ad perpetuam rei memoriam.

Olim felicis recordacionis Benedictus papa XII. predecessor noster intendens licium et dubietatis cuiuslibet, que inter pauperes clericos, qui super provisionibus eis faciendis de beneficiis ecclesiaticis litteras sub ea forma, quam pro ipsis clericis beneficiandis interdum sedes apostolica scribere consuevit, a sede ipsa pro tempore impetrabant et ecclesiarum collegiatarum capitula oriebantur sepius, materiam amputare, quandam constitucionem edidit continencie subsequentis.

Benedictus etc. Ad perpetuam etc. „Ad providam circumspectionem“ etc. usque ad „Datum Avinione X. kal. Novembris pont. nostri anno septimo.“ Verum, quia sic habet multorum fidedignorum assercio et magna experiencia facti docet, quod per ipsum predecessoris institutum in hac parte pro comodo (sic) et indepnitate ipsorum clericorum pauperum credebatur, tendit ad noxam pocius et incommodum eorundem. Nos, ex hiis et certis aliis racionabilibus causis inducti, constitucionem ipsam et omnem eius effectum de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica revocamus et penitus annullamus ipsumque decretum exnunc nullius prorsus existere firmitatis. Nostre tamen intencionis nequaquam existit, quod ipsi pauperes clerici beneficia maioris valoris in eisdem collegiatis ecclesiis per dictas litteras pretextu revocacionis huiusmodi valeant acceptare, quam ante edicionem constitucionis predecessoris eiusdem acceptare poterant et debebant. Nulli ergo etc.

Datum Avinione XIV. kal. Augusti a. primo.

26.

1342 Maii 20.
Reg. Vat. t. 214 fol. 14 t⁰ n⁰ 9.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum felicis recordacionis Benedictus papa XII. predecessor noster nonnullas tam patriarchales, archiepiscopales, episcopales et abbaciales quam alias dignitates necnon personatus, officia, canonicatus, prebendas ac alia beneficia ecclesiastica, secularia et regularia cum cura et sine cura, tunc vacancia et imposterum vacatura, certis modis vacacionum expressis, intendens de illis per sedis apostolice providenciam ordinari, disposicioni, provisioni et ordinacioni sue, donec miseracionis divine clemencia eum universalis ecclesie regimini presidere concederet, quedam ex eis

generaliter, aliqua vero specialiter, inhibicione ac decreto super hiis interpositis, reservavit, quorum quidem dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, prebendarum et beneficiorum ecclesiasticorum reservatorum, ut prefertur, per eum nonnulla tempore sui obitus iam vacabant, de quibus per eum, dum vixit, nequaquam extitit ordinatum. Cum autem, sicut intelleximus, ab aliquibus in dubium revocetur, an post dictum obitum aliquis preter Romanum pontificem de huiusmodi dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, prebendis et aliis predictis beneficiis ecclesiasticis, sicut premittitur, reservatis et tempore obitus predecessoris ejusdem vacantibus disponere potuerit sive possit. Nos attendentes verba huiusmodi, scilicet „donec miseracionis divine clemencia“ etc. in reservacione predicta contenta, sano posse intellectu referri dumtaxat ad beneficia, que essent eiusdem predecessoris obitus tempore vacatura. Considerantes quoque, quod ipse intendebat, ut superius est premissum, de huiusmodi dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, prebendis et beneficiis per sedis apostolice providenciam ordinari et quod non est verisimile, quod ipse alterius quam sue condicionis vellet successores suos existere in hac parte. Ad tollendum omnis ambiguitatis scrupulum, tenore presencium declaramus, patriarchales, archiepiscopales, episcopales et abbaciales dignitates ac personatus, officia, canonicatus, prebendas et beneficia alia supradicta, que sic reservata per ipsum predecessorem tempore, quo ipse fuit ab hac luce subtractus, vacabant remansisse ac remanere per huiusmodi reservacionem et decretum affecta, nullumque de illis preter Romanum pontificem ea vice potuisse vel posse disponere quoquomodo, decernentes irritum et inane, quicquid in contrarium a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel contigerit imposterum attemptari. Nulli ergo etc.

Datum Avinione XIII. kal. Junii a. primo.

27.

1342 Sept. 2.
Reg. Aven. Clem. VI. t. 1. fol. 339.

Dilecto filio Petro Conradi, canonico Wratislauiensi, salutem etc.

Laudabile testimonium, quod tibi apud nos de probitatis meritis fidedignorum testimonio perhibetur, benignius attendentes, dignum duximus, ut ad personam tuam apostolice liberalitatis dexteram extendamus. Dudum si quidem felicis recordacionis Johannes papa XXII. predecessor noster in suis apostolatus primordiis omnes canonicatus et prebendas, ceteraque beneficia ecclesiastica, que tunc apud apostolicam sedem quocunque modo vacabant et que extunc in antea, donec Christi dignitacio ipsum dignaretur universalis ecclesie sponse sue regimini presidere, vacare contingeret apud eam, provisioni sue auctoritate apostolica reservavit, decernens extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan esset hactenus vel

contingeret imposterum attemptari. Ac deinde dicto Johanne primo et demum pie memorie Benedicto papa XII., eiusdem Johannis immediate successore, qui consimili modo in sue promocionis exordiis canonicatus et prebendas ac beneficia ecclesiastica huiusmodi disposicioni et provisioni sue cum similis interposicione decreti specialiter reservavit, predecessoribus nostris, sicut domino placuit de hac vita subtractis, nos, ad apicem summi apostolatus assumpti, uno mense a nostre promocionis exordiis tunc nondum lapso, omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quocumque modo tunc apud dictam sedem vacancia et imposterum vacatura cum similis interposicione decreti similiter duximus reservanda. Cum itaque canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Nicolaus de Thedelgariis de Urbe, eiusdem ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius obitum, qui dicto Johanne predecessore vivente apud dictam sedem diem clausis extremum apud sedem ipsam vacaverint et adhuc vacare noscantur, nos attendentes, quod nullus preter nos de ipsis canonicatu et prebenda, de quibus sic vacantibus dicti predecessores minime ordinarunt, hac vice disponere potuit neque potest, reservacionibus et decretis obsistentibus supradictis ac volentes tibi premissorum meritorum tuorum intuitu, te, pro quo etiam venerabilis frater noster Prenczlaus (sic) episcopus Wratislauiensis asserens, te, clericum familiarem suum domesticum, circa nuncios apostolicos in partibus illis in negociis camere apostolice fideliter servivisse, super hoc nobis humiliter supplicavit, favore prosequi gratie specialis, predictos canonicatum et prebendam sic vacantes, cuius quidem prebende fructus decem marcharum argenti, ut asseritur, valorem annuum non excedunt, cum plenitudine iuris canonici apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus, decernentes prout est irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel contigerit imposterum attemptari. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ipsius ecclesie, iuramento, confirmacione dicte sedis vel quacumque firmitate alia roboratis. Seu, si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel, ut recipiantur, insistant aut si super provisionibus sibi faciendis dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibicionem, reservacionem et decretum et alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecucione dictorum canonicatus et prebende te volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecucionem canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari. Aut si episcopo, qui est pro tempore, et dilectis filiis capitulo Wratislauiensibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de canonicatibus et prebendis eiusdem ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem vel quamcumque aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam

presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis. Seu, si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absencia tua per procuratorem ydoneum et, cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes. Aut quod beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem vel presentacionem dilectorum filiorum . . . Abbatis et Conventus Monasterii Tinciensis ordinis Sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, per litteras predicti predecessoris nostri Benedicti nosceris expectare. Nulli ergo etc.

Datum apud Villam Novam Avinionensis diocesis quarto non. Septembris anno primo.

In eodem modo — Venerabili fratri . . . Episcopo Csanadiensi et dilectis filiis . . . Sancti Vincencii et . . . Sancte Marie in arena, diocesis Wratislauiensis, monasteriorum abbatibus, salutem etc.

Datum ut supra —

28.

1349 Junii 1.
Reg. Aven. Clem. VI. t. 54 fol. 119.

Dilecto filio Arnoldo de Causina, canonico Wratislauiensi, salutem etc.

Honestas morum et vite aliaque tue probitatis merita, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, exposcunt, ut personam tuam favore apostolico prosequentes tibi reddamur ad graciam liberales. Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud sedem apostolicam vacancia et imposterum vacatura collacioni et disposicioni nostre specialiter reservantes, decernimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari, ac deinde declaravimus, nostre fuisse intencionis et esse, omnes huiusmodi canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quocumque modo collacioni nostre generaliter vel specialiter reservata, que per nos quibuscumque personis conferri contingeret, si personas easdem, quibus eadem beneficia conferrentur, priusquam collaciones nostre huiusmodi sint facte, per adeptionem possessionis pacifice beneficiorum ipsorum suum essent sortite effectum, rebus eximi contingeret ab humanis, donec per nos de illis provisum existeret nostreque provisiones huiusmodi per adeptionem predictam huiusmodi possessionis pacifice plenum essent sortite effectum, sub nostra reservacione huiusmodi remanere libere sicut prius. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Wernerus de Chinelik, eiusdem ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat per obitum eiusdem Werneri, qui apud sedem predictam diem clausit extremum, tunc apud eandem sedem vacavissent, nos quondam Pasok, nato dilecti filii Nicholai Palatini Calisiensis, canonico Wratislauiensi, de dictis canonicatu et prebenda sic vacantibus duximus

providendum, idemque Pasok litteris apostolicis super huiusmodi provisione confectis, antequam possessionem eorumdem canonicatus et prebende fuisset adeptus, viam fuerit extra eandem curiam universe carnis ingressus, et secundum premissa canonicatus et prebenda predicti adhuc vacare noscantur, nullusque preter nos hac vice de illis disponere potuerit neque possit, reservacione, declaracione et decretis obsistentibus predictis. Nos volentes tibi, in Ungarie et Polonie Regnis dicte sedis nuncio, premissorum meritorum intuitu graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus, decernentes, prout est irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel contigerit imposterum attemptari. Non obstantibus etc. . . . . illud prestes. Seu, quod in Cracoviensi et Gneznensi ac in Ticulensi, Colociensis diocesis, canonicatus et prebendas et in dicta Cracoviensi ecclesiis scolastriam nosceris obtinere. Nulli ergo etc.

Datum Avinione kal. Junii a. octavo.

In eodem modo — Dilectis filiis . . . preposito Ariensis et . . . archidiacono Cracoviensis ecclesiarum ac . . . officiali Cracoviensi salutem etc.

Datum ut supra.

29.

Cod. B. fol. 114.

Decernitur, reservacio (sic) domini Johannis perinde valere ac si littere super ea facte fuissent.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum felicis recordacionis Johannes papa XXII. predecessor noster intendens de beneficiis ecclesiasticis, que quondam Ar.us [1]) Costolani, canonicus Foroliviensis [2]), tunc temporis obtinebat, cum illa quovismodo vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ordinare, beneficia ipsa, dum adhuc idem Ar.dus ageret in humanis, ea vice, videlicet nonis junii pontificatus eiusdem [3]) predecessoris anno septimo, collacioni et disposicioni sue ac sedis predicte specialiter reservavit, districtius inhibendo illi vel illis, ad quem vel ad quos ipsorum beneficiorum collacio, provisio vel quevis alia disposicio pertineret communiter vel divisim, ne de illis contra reservacionem ipsam disponere presumerent quoquomodo ac decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Nos vero, ut de ipsis reservacione, inhibicione et decreto constare posset in posterum, de oportuno remedio providere volentes, apostolica auctoritate decernimus, reservacionem, inhibicionem et decretum predicta perinde valere ac si littere predicti predecessoris super reservacione, inhibicione et decreto predictis facte et ipsius bulla bullate fuissent et quod presentes littere ad plenam

probacionem reservacionis, inhibicionis et decreti predictorum ubique in iudicio et extra iudicium faciendam perinde sufficiant[4]) et valeant, quemadmodum littere predecessoris eiusdem plene sufficerent et valerent, sicut premittitur super hiis confecte et eius bulla bullate fuissent, nec ad probacionem huiusmodi aliquod aliud adminiculum requiratur. Nulli ergo etc.

1) Arnoldus: V.
2) Forevilen.: V.
3) deest: V.
4) verba „sufficiant et" desunt: V.

30.

1343 Febr. 6.
Cod. B. fol. 121.

Reservacio in regno Sicilie et terris sub dominio Romane ecclesie existentibus.

Clemens episcopus etc. Ad futuram rei memoriam.

Inter cetera, que nostris inducit solicitudinibus officium apostolice servitutis de statu regni Sicilie ac terrarum citra farum, que de nostro et Romane ecclesie directo dominio existere dinoscuntur, in prosperis dirigantur, gracia prestante divina, successibus nos attentis convenit cogitacionibus meditari.

Sane, quia non parum hiis presertim temporibus esse creditur circa hoc oportunum, quod in ecclesiis cathedralibus et aliis locis ecclesiasticis solempnibus regni et terrarum predictarum prelati et rectores preficiantur per apostolice sedis providenciam ydonei, qui ecclesiis et locis eisdem scientes,[1]) volentes et valentes preesse utiliter et prodesse, statum eorundem regni et terrarum zelentur prosperum, pacificum et tranquillum et ad observacionem cultus fidelitatis,[2]) pacis et iusticie suos instruant subditos et inducant. Nos hiis et aliis piis et iustis moti consideracionibus et inducti habitaque deliberacione cum fratibus nostris super hiis et de ipsorum consilio provisiones et disposiciones[3]) omnium et singularum ecclesiarum cathedralium necnon monasteriorum quorumlibet exemptorum et non exemptorum, preterquam monialium et aliarum religiosarum mulierum in eisdem regno et terris consistencium ad presens vacancium et in antea vacaturorum usque ad biennium a data presencium computandum nobis et sedi apostolice auctoritate apostolica reservamus, districtius inhibentes capitulis et conventibus ecclesiarum et monasteriorum predictorum et aliis, quorum interest vel interesse poterit in futurum, ne ad electionem, postulacionem, nominacionem vel aliam qnamcunque provisionem prelatorum

preficiendorum in eis contra reservacionem nostram huiusmodi presumant procedere quoquomodo ac decernentes etc. . . . attemptari. Nulli ergo etc.

Datum Avinione VIII. idus Febr. a. primo.

[1]) facientes (!): V.
[2]) fideliter (!): V; fidelitatis — Reg. Vat.
[3]) disponens (!): V; disposiciones — Reg. Vat.

31.

1343 Maii 5
Reg. Vat. t. 214 fol. 18t.° n° 16.

Ad futuram rei memoriam.

Dum statum miserabilem insule Sicilie, que propter inobediencias et excessus nephandos varios contra Romanam ecclesiam ibidem interdicto ecclesiastico subiacere ac diu subiacuisse noscitur, mentis oculis intuemur eidem more paterno compatimur piis desideriis affectantes, quod per veram obedienciam et satisfactionem debitam a suis relevari periculis, opprobriis et ad statum dirigi prosperum mereretur. Cum autem propter hec et alia cetera premissa diligencius attendenda opportunum admodum existimetur, quod in ecclesiis presertim cathedralibus etc. . . . speretur.

Nos, hiis et aliis causis honestis et racionabilibus animum nostrum ad id moventibus, nonnullorum predecessorum nostrorum Romanorum pontificum in hac parte vestigiis inhaerentes, provisiones et disposiciones omnium et singularum archiepiscopalium, episcopalium et collegiatarum ecclesiarum necnon abbaciarum, monasteriorum et prioratuum conventualium regularium et secularium, exemptorum et non exemptorum, nunc vacancium et in antea vacaturarum infra dictam insulam consistencium, in quibusvis prelati seu rectores consueverunt per electionem assumi, extunc et quocies casus vacacionis emerserit usque ad biennium a prima die Junii proximo instantis, quo terminabitur tempus reservacionis per felicis recordacionis Benedictum papam XII. predecessorem nostrum olim de illis facte in antea computandum, nobis et sedi apostolice auctoritate apostolica reservamus. Universis ecclesiarum, abbaciarum etc. . . . attemptari. Ceterum volumus et nostre intencionis existit, quod reservacio, inhibicio et decretum huiusmodi ad monasteria monialium et aliarum religiosarum mulierum et ad ecclesias vel prioratus non conventuales seu quorum fructus, redditus et proventus annui summam quinquaginta florenorum auri secundum communem existimacionem non excedunt, nullatenus extendantur. Nulli ergo etc.

Datum Avinione III. non. Maii a. primo.

32.

1344 Febr. 13.
Cod. B. fol. 124—127.

Revocacio generalis reservacionum domini Johannis pape in provinciis Italie et reservacio illorum, de quibus non fuit ordinatum.

Clemens episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam.

Super universas orbis ecclesias a domino constituti circa earum commoda et gregis dominici nobis in eis commissi custodia libenter, prout tenemur, ex debito vigilis speculatoris officium adhibemus et ad ea, que animarum salutem ecclesiarum ipsarum bonum statum et fidelium tranquillitatem respiciant, studiis totis intendimus intensis desideriis laborando, ut ecclesie ipse ac loca ecclesiastica rectoribus gubernentur ydoneis et canonico titulo teneantur omnisque tollatur occasio, per quam possit contrarium provenire. Olim siquidem fe. re. Johannes papa XXII. etc. *ut in constitutione „Solicitudo pastoralis"* (*n⁰ 34*) *usque ad* cassamus, irritamus et penitus annullamus ipsasque nullius fore decernimus penitus firmitatis.

Nulli ergo etc.

Datum Avinione idibus Februarii pont.[1]) nostri a. secundo.

[1]) „pontif. nostri" desunt V.

33.

1344 Febr. 13.
Cod. B. fol. 123.

Reservacio generalis episcopalium et aliarum collegiatarum ecclesiarum et monasteriorum in provinciis.

Clemens etc. Ad futuram rei memoriam.

Dirigentes nostre consideracionis intuitum ad statum ecclesiarum et monasteriorum parcium Italie auctore domino etc. .... prodesse.

Huiusmodi et nonnullis aliis racionabilibus causis inducti, provisiones omnium et singularum patriarchalium et episcopalium ecclesiarum, monasteriorum necnon prioratuum et locorum conventualium, virorum dumtaxat abbates proprios seu superiores sui ordinis non habencium, ac principalium prelatorum seu capitum ordinum non mendicancium quorumcunque in Aquilegen. et Graden. patriarchatibus ac Mediolanen. Ravennaten. Pisan. et Januen. civitatibus dioc. et provinciis necnon in partibus Tuscie consistencium ad presens vacaturorum et usque ad biennium, a data presencium computandum, vacaturorum, ad quorum ragimina prelati per

electionem consueverunt seu debent assumi, ordinacioni et disposicioni nostre ac sedis eiusdem de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine reservamus, universis et singulis ecclesiarum earundem necnon monasteriorum, prioratuum, ordinum et locorum predictorum capitulis, collegiis seu conventibus et personis aliis quibuscumque districtius inhibentes, ne ad aliquam electionem, nominacionem postulacionem seu provisionem quamcunque contra reservacionem nostram huiusmodi procedere quoquomodo presumant ac decernentes etc. . . . attemptari. Nulli ergo etc.

Datum Avinione idibus Februarii pontificatus nostri a. secundo.

34.

1344 Febr. 14.
Cod. B. fol. 108—111.

Reservacio generalis in Tuscia et provinciis Tuscie. Clemens etc. Ad futuram rei memoriam.

Solicitudo pastoralis officii solicitare non desinit studia mentis nostre, ut statui fidelis populi, desuper cure nostre commissi, providere prospero (sic), quantum nobis ex alto permittitur, procuremus Sane post promocionem nostram ad summi apostolatus apicem ad audienciam nostram perducto, quod fe. re. Johannes papa XXII. predecessor noster ex certis causis racionabilibus provisiones omnium patriarchalium, archiepiscopalium episcopalium et eciam quarumlibet ecclesiarum collegiatarum secularium necnon abbaciarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum quorumcunque piorum locorum in patriarchatu Aquilegen. necnon Mediolanen. Ravennaten. Januen et Pisan. provinciis ac eciam partibus Tuscie preterquam de ipsis piis locis consistencium, ad que prelati consueverunt seu debebant per electionem assumi, disposicioni et ordinacioni sue ac sedis apostolice de fratrum suorum consilio usque ad eiusdem sedis beneplacitum auctoritate apostolica reservavit, decernens extunc irritum etc. . . . attemptari. Quodque subsequenter predecessor ipse certis aliis causis et racionibus motus, tam in patriarchatu et Mediolanen. Ravennat. Januen. et Pisan. ac partibus predictis quam in Graden. provinciis similes reservaciones generales biennales seu temporales cum similis interposicione decreti fecit, que per eum de biennio in biennium prorogare usque ad suum obitum et post eciam per tempus aliquod duraverunt et nihilominus interim certis aliis racionabilibus causis motus pariter et inductus, plebes [sic] ac collegiata et alia beneficia ecclesiastica hospitalia et pia loca quecunque Lucan. et Pisan. civitatum et diocesis eiusdemque civitatis Pisan. districtus, etiamsi foret de Vulteran. Massan. Lunen et Grossetan. dioc., que de collacione archiepiscopi Pisan., qui est pro tempore, non extarent, necnon beneficia omnia et singula, etiamsi *[forent]* dignitates, personatus et officia regularia vel secularia civitatis et diocesis Mediolanen. Eodemque Johanne papa sicut domino placuit sublato de medio, pie. me. Benedictus papa XII. predecessor noster ad culmen apostolice dignitatis assumptus, confirmaciones omnium electionum, quas ad quascumque

cathedrales et collegiatas ecclesias seculares et regulares dictarum civitatum et diocesis ac provincie Mediolanen. tunc vacantes et in antea vacaturas celebrari contingeret, ordinacioni et disposicioni sue ac sedis eiusdem cum interposicione decreti eciam reservavit. Et deinde nobis exposito, quod a nonnullis in dubium vertebatur, an predicte reservaciones generales usque ad beneplacitum dicte sedis per ipsum Johannem, ut predicitur, facte per alias biennales et temporales reservaciones revocate fuissent, superhocque coram nobis diversis vicibus et temporibus disceptato. Nos volentes super hoc salubriter providere nuper, videlicet Id. presentis mensis februarii, deliberacione super hiis cum fratribus nostris sancte Rom. ecclesie cardinalibus prehabita diligenti, de ipsorum consilio dubium huiusmodi minime declarando auctoritate apostolica duximus ordinandum, quod omnes et singuli, qui post obitum dicti Johannis predecessoris post et contra reservaciones et decreta huiusmodi ad patriarchales, archiepiscopales, episcopales quaslibet dignitates ecclesiarum collegiatarum secularium necnon abbaciarum, monasteriorum et prioratuum aliorum quorumcunque religiosorum ac piorum locorum regimina, alias tamen rite et canonice, tunc erant assumpti et alii eciam, quibus in plebibus, [sic] dignitatibus, personatibus vel officiis necnon collegiatis et aliis beneficiis ecclesiasticis hospitalibus et piis locis quibuscunque patriarchatuum provinciarum, civitatum et diocesium ac parcium predictarum vel ad ea ius erat, si non precessissent reservaciones huiusmodi, alias acquisitum, possent illa providere, licite retinere, assequi et habere ac si reservaciones predicte facte nullatenus extitissent, omnem infamie et inabilitatis maculam sive notam, si quas propterea contraxissent de apostolice potestatis plenitudine abolentes, ipsosque et eorum quemlibet auctoritate apostolica *[h]*abilitantes predicta, necnon consecracionis a patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac benedictionis ab abbatibus munus, alias tamen rite susceptum, et omnia et singula, alias eciam rite gesta et administrata per eos, ex certa scientia cum remissione perceptorum a prelaturis, dignitatibus, personatibus, officiis, hospitalibus, piis locis et aliis beneficiis ecclesiasticis supradictis medio tempore fructuum approbantes. Per premissa vero provisionibus de patriarchalibus, archiepiscopalibus, episcopalibus, abbacialibus et quibusvis aliis dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis hospitalibus, et aliis piis locis huiusmodi necnon acceptationibus de ipsis auctoritate apostolica factis nolumus in aliquo derogari. Et nihilominus illa ex predictis prelaturis, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, hospitalibus et aliis piis locis, que post reservaciones huiusmodi vacauerant et de quibus per sedem eandem vel alios, ad quos eorum disposicio, si non fuissent facte reservaciones predicte, pertineret non erat alias canonice ordinatum, disposicioni nostre ac sedis apostolice predicte cum interposicione decreti duximus reservanda, omnes et singulas reservaciones predictas, per eosdem predecessores de patriarchalibus, archiepiscopalibus, episcopalibus abbacialibus et aliis dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis hospitalibus et piis locis aliis factas, extunc in antea vacaturis, quatenus robur habere poterant, nihilominus cassantes, revocantes et totaliter annullantes.

Verum, quia circa statum parcium predictarum dirigendum et confovendum prosperum, pacificum et tranquillum expediens admodum existimatur, quod

in ecclesiis cathedralibus, abbacialibus et aliis ecclesiasticis locis insignibus et principalibus prelati et rectores preficiantur ydonei, qui sciant, velint et possint nutrire concordias et ad pacis et unitatis concordiam revocare discordes aliisque proficere verbo pariter et exemplo. Nos attendentes, quod premissa melius et utilius, favente divina gracia, poterunt presidis prefate providencia adimpleri, hiis et aliis piis et iustis consideracionibus moti pariter et inducti, provisiones omnium et singularum cathedralium et collegiatarum ecclesiarum ac monasteriorum, prioratuum, beneficiorum et locorum ecclesiasticorum secularium et regularium, exemptorum et non exemptorum, in Aquilegen. et Graden. ac Mediolanen. Ravennat. Januen. et Pisan. provinciis et Tuscie parcium consistencium, in quibus prelati, rectores seu gubernatores, quocumque nomine nuncupentur, consueverunt seu debuerunt per electionem assumi, que nunc vacant et que usque ad biennium a data presencium vacare contigerit, nobis auctoritate apostolica specialiter reservantes, exnunc decernimus irritum etc. . . . attemptari.

Volumus autem et nostre intencionis existit, quod huiusmodi reservacio et decretum ad monasteria et loca monialium et aliarum religiosarum mulierum et ad ecclesias et alia beneficia et loca ecclesiastica, quorum fructus, redditus et proventus summam quadraginta floren. auri secundum existimacionem communen valorem annuum non excedunt, nullatenus extendantur. Nulli ergo etc.

Datum Avinione XVI. kal. Marcii a. secundo.

35.

1346 Febr. 8.
Cod. B. fol. 111.

Prorogacio reservacionum in patriarchatu Aquilegen. et partibus Tuscie.

Clemens episcopus etc. Ad futuram rei memoriam.

Dudum videlicet XVI. Kl. Marcii pont. nostri anno secundo ad audienciam nostri apostalatus perducto, quod fe. re. Johannes papa XXII. predecessor noster ex certis causis racionabilibus provisiones omnium patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium[1]) et eciam quarumlibet ecclesiarum collegiatarum secularium necnon abbaciarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum quorumcunque piorum locorum in patriarchatu Aquilegen. necnon Mediolanen. Ravennaten. Januen. et Pisan. provinciis ac eciam partibus Tuscie consistencium, ad que prelati consueverunt seu debebant per electionem assumi etc. *[ut in precedenti reservatione[2])]* eandem reservacionem narrando de verbo ad verbum usque ad monasteria et loca monialium et aliarum religiosarum mulierum et ad ecclesias et alia beneficia et loca ecclesiastica, quorum fructus, redditus et proventus summam XL. flor. auri communi existimacione valorem annuum non excederent, quomodolibet non extendi.

Verum, cum finis dicti biennii instare noscatur, nos similibus consideracionibus moti et inducti reservacionem et decretum[3]) predicta a fine

dicti biennii usque ad duos annos extunc proxime subsequentes[4]) sub eisdem modis[5]) et condicionibus extendimus tenore presencium et eciam prorogamus. Nulli ergo etc.

Datum Avinione VI. idus Februarii a. quarto.

[1]) deest: V.
[2]) cf. n⁰ 34.
[3]) decreta: V.
[4]) subsequentis: V.
[5]) modo: V.

36.

1344 Oct. 1.
Cod. B. fol. 122—123.

Relaxacio pro exspectantibus ad biennium de beneficiis reservatis.

Clemens episcopus etc. Ad futuram rei memoriam.

Romanus pontifex plerumque gesta vel ordinata per eum revocat seu commutat in melius, prout auriga racionis previa hoc conspicit salubriter et utiliter expedire. Cum itaque, sicut ea fidedignorum relacione percepimus, propter reservaciones de certis canonicatibus et prebendis ac beneficiis ecclesiasticis disposicioni nostre ac sedis apostolice per nos factas, plures et diverse persone ecclesiastice, quibus de canonicatibus cum reservacione prebendarum in diversis tam cathedralibus quam collegiatis ecclesiis seu eciam de beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, si tunc vacabant vel cum vacarent in diversis mundi partibus, per nostras certi tenoris litteras tam in speciali quam in communi forma auctoritate apostolica gracias duximus concedendas, prebendas et beneficia huiusmodi expectantes ab assecucione dictarum graciarum, eis per nos, ut prefertur, concessarum, diucius fuerint retardate, propter quod eedem persone, ut premittitur exspectantes, ex predictis graciis nullum adhuc commodum reportarunt, quinymo labores subierunt plurimos et expensas. Nos eisdem expectantibus pio in hac parte compacientes affectu ac cupientes, ut predicte gracie per nos eis, ut prefertur, concesse suum sorciantur effectum, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod, quibuscunque reservacionibus specialibus de certis canonicatibus et prebendis singularum et certarum personarum in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis quibuscunque seu de certis beneficiis ecclesiasticis certarum personarum cum cura vel sine cura per nos hactenus factis aut in posterum faciendis nequaquam obstantibus, prefati expectantes presentes pariter et futuri, prebendas tam in cathedralibus quam collegiatis ecclesiis supradictis, necnon beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, que vigore dictarum litterarum nostrarum exspectant seu eciam expectabunt, quorum quidem beneficiorum fructus, redditus et proventus si cum cura sexaginta si vero sine cura quadraginta librarum Turonensium parvorum secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, proinde libere acceptare et de ipsis sibi provideri facere valeant ac si predicte reservaciones

per nos, ut premittitur, facte seu faciende, acceptaciones et provisiones huiusmodi minime precessissent, presentibus post biennium minime valituris. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Datum Avinione kalendis Octobris pontificatus nostri a. tertio.

37.

1344 Oct. 1.
Cod. B. fol. 114—116.

Declaracio prima et restrictio relaxacionis graciarum expectancium super reservacionibus.

Clemens episcopus etc. Ad futuram rei memoriam.

Apostolice sedis providencia circumspecta ad illa, que plenius ordinat et disponit, declaracionis, ubi expedit, sue provisionem adiicit, prout fore conspicit oportunum. Hodie siquidem ex certis causis voluimus et apostolica auctoritate per nostras certi tenoris litteras duximus decernendum, quod, quibuscunque reservacionibus specialibus de certis canonicatibus et prebendis singularium et certarum personarum vel collegiatis ecclesiis quibuscunque seu de certis beneficiis ecclesiasticis personarum certarum cum cura vel sine cura tunc per nos factis aut inantea faciendis nequaquam obstantibus, expectantes per nostras litteras apostolicas canonicatus et prebendas et beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura presentes pariter et futuri canonicatus et prebendas tam in cathedralibus quam in collegiatis ecclesiis supradictis necnon beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, quorum quidem beneficiorum fructus, redditus et proventus, si cum cura sexaginta, si vero sine cura forent quadraginta librarum Turonensium parvorum secundum taxacionem decime valorem annuum non excederent, perinde usque ad biennium tunc perentorio futurum, vigore dictarum litterarum libere acceptare et de ipsis sibi facere provideri valerent, ac si predicte reservaciones, per nos, ut premittitur, facte seu faciende, acceptaciones et provisiones huiusmodi minime processissent. Verum, quia posset aliquibus pervenire in dubium, utrum in voluntate et decreto nostris predictis nos intelleximus dignitates, prepósituras mensatas, personatus et officia ecclesiastica aut eciam quorumcunque regularium prioratus seu quevis eorum beneficia vel officia cum cura vel sine cura seu canonicatus et prebendas, quos habentes vel extunc habituri, dignitates, personatus, officia, prepósituras seu mensatas cum cura vel sine cura, per nos tunc temporis specialiter reservata vel in posterum reservanda, obtinebant vel obtinerent in antea in illis ecclesiis, in quibus consisterent dignitates, personatus, officia, preposíture seu mensate reservate vel reservande, ut premittitur, comprehendi, presentis constitucionis oraculo declaramus voluntatem et decretum nostra predicta, ad dignitates preposituras mensatas, personatus et officia huiusmodi sive curam habeant animarum sive

non ac eciam ad prioratus aut quecunque alia beneficia vel officia regularium quorumcunque ac ad canonicatus et prebendas predictos aliquatenus non extendi. Premissa vero quoad canonicatus et prebendas illos dumtaxat locum habere volumus, quos habent vel in futurum habebunt predicti in ecclesiis solum, in quibus consistunt dignitates, prepositure mensate, personatus ac officia huiusmodi reservata per nos, ut premittitur, vel eciam reservanda, et non quoad canonicatus et prebendas, quos obtinere in aliis quam predictis ecclesiis dinoscuntur. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Datum Avinione kalendis Octobris pontificatus nostri a. tercio.

38.

1344 Oct. 19.
Cod. B. fol. 116—117.

Secunda declaracio relaxacionis predicte.

Clemens episcopus etc. Ad futuram rei memoriam.

Provida sedis apostolice benignitas quietem et pacem subditorum perquirens, ea, que sunt dubia et obscura, ne lites et iurgia pariant[1]), sepe, sicut oportunum fore, conspicit, dilucidat et declarat. Dudum siquidem nobis exposito, quod, propter reservaciones de certis canonicatibus et prebendis ac beneficiis ecclesiasticis disposicioni nostre et sedis predicte[2]) factas, plures et diverse persone ecclesiastice, quibus de canonicatibus cum reservacione prebendarum in diversis tam cathedralibus quam collegiatis ecclesiis seu eciam de beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, si tunc vacabant vel cum vacarent, in diversis mundi partibus per nostras certi tenoris litteras tam in[3]) speciali quam in communi forma gracias auctoritate apostolica feceramus, expectantes prebendas et beneficia huiusmodi ab assecucione dictarum graciarum, eis per nos, ut premittitur, concessarum, fuerant diucius retardate, propter quod eedem persone, ut supradictum est, expectantes nullum reportasse dicebantur de predictis graciis commodum sed labores pocius et expensas. Nos eisdem expectantibus, pio[4]) super hiis compacientes affectu, voluimus et eadem auctoritate decrevimus, quod, quibuscunque reservacionibus specialibus de certis canonicatibus et prebendis singularum et certarum personarum in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis, quibuscunque seu de certis beneficiis ecclesiasticis certarum personarum cum cura vel sine cura per nos tunc factis aut in posterum faciendis nequaquam obstantibus, predicti expectantes presentes pariter et futuri per biennium dumtaxat continuum, a kalendis octobris proximo[5]) preteritis inchoatum, prebendas tam in cathedralibus quam collegiatis ecclesiis supradictis, necnon beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, que vigore dictarum litterarum nostrarum expectabant seu eciam expectarent, quorum quidem beneficiorum fructus,

redditus et proventus, si cum cura sexaginta, si vero sine cura fuerint quadraginta librarum Turonensium parvorum valorem annuum secundum taxacionem decime non excederent, perinde libere acceptare sibique de ipsis facere provideri valerent ac si predicte reservaciones per nos, ut prefertur, facte seu medio tempore faciende acceptaciones et provisiones huiusmodi minime processissent, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Sane, quia quandoque contigit hactenus et contingit, nos dignitates, personatus, officia, beneficia, prioratus, prepositiuras, administraciones seu mensatas in cathedralibus seu collegiatis ecclesiis existentes auctoritate apostolica reservare[6]), aliqui sicut intelleximus hesitare seu revocare in dubium moliuntur, an prebendas illorum, qui easdem dignitates, personatus officia, beneficia, prioratus, prepositiuras, administraciones seu mensatas cum eis, dum viverent, in eisdem ecclesiis obtinebant, possint expectantes predicti vigore predicte relaxacionis in favorem eorum, ut premittitur, per nos facte acceptare sibique facere provideri de illis. Nos volentes hesitatoribus seu dubitatoribus huiusmodi materiam, ne propterea[7]) litigiosis aditus prestetur, amfractibus amputare, tenore presencium declaramus, nostre intencionis existere ac eciam extitisse, prebendas, que per easdem personas una cum prefatis dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis prioratibus, prepositiuris administracionibus seu mensatis in eisdem obtinebantur ecclesiis, eciamsi eis annexe non existant, sic esse per reservacionem nostram affectas, quod sub relaxacione predicta nullatenus includantur; ad alias vero prebendas, quas in aliis obtinebant ecclesiis, presentem declaracionem nostram intelligimus non extendi. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Datum Avinione XIV. kal. Novembris pontificatus nostri a. tercio.

---

1) pareant (!): V.
2) predicte per nos factas: V.
3) de: V.
4) pro (!): V.
5) proxime: V.
6) reservatur (!): V.
7) proptera per eam litigiosis: V.

39.

1345 Oct. 10.
Cod. B. fol. 117—118.

Declaracio, quod reservato beneficio persone regularis, quod obtinebat in loco, in quo erat certus numerus, locus, quem habebat in loco ipso, sit eo ipso reservatus . . . *[desunt verba].*

Ad futuram rei memoriam.

Apostolice sedis providencia circumspecta dubia, que in actis seu gestis per sedem eandem interdum insurgunt, libenter dilucidat et declarat,

ut exinde dispendia licium inter personas ecclesiasticas presertim religiosas valeat evitari. Cum itaque, sicut accepimus, a nonnullis in dubium revocetur, an, reservato per nos [1]) quovis ecclesiastico beneficio per regulares personas solito gubernari, (intelligatur) locus, quem persona regularis obtinens dictum beneficium habebat in ecclesia seu monasterio aut quovis alio loco religioso, in quo est certus numerus personarum regularium, censeatur eciam reservatus. Nos ad huiusmodi dubium super hiis summovendum et amfractus licium evitandos auctoritate apostolica tenore presencium declaramus, nostre intencionis fuisse et esse, ut quandocunque aliquod ecclesiasticum beneficium regulare, eciamsi prioratus, dignitas, personatus, administracio, officium vel quodvis aliud existat et quocunque nomine nuncupetur, consuetum per personas regulares ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum decanatuum et quorumlibet aliorum locorum regularium, quorumcunque ordinum fuerit, gubernari, hactenus reservavimus aut reservabimus in futurum, locus, quem persona regularis, dictum beneficium sic reservatum obtinens, habebat seu habebit in ecclesiis monasteriis, prioratibus, decanatibus seu locis aliis regularibus vel eorum aliquo supradictis, in quibus certus dictarum personarum regularium numerus erat vel erit tempore reservacionis huiusmodi canonice institutus, eo ipso reservatus existat et pro reservato penitus habeatur, ac nichilominus irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attemptari. Nulli ergo etc.

Datum Avinione VI. idus Octobris [2]) a. quarto.

---

[1]) facta de quovis: V.
[2]) pontificatus nostri: V.

40.

1346 Aprilis 13.
Cod. B. fol. 118—119.

Declaracio, quod loca regularium certum numerum habencium remaneant reservata.

Ad futuram rei memoriam.

Officii nostri debitum exposcit, ut hiis, que a nobis suppliciter postulantur, illis presertim, per que inter personas desiderantes sub regulari habitu domino famulari dispendia licium precaveri valeat, favorabiliter annuamus. Dudum siquidem ex certis causis voluimus et apostolica auctoritate per nostras certi tenoris litteras duximus declarandum, quod, quibuscunque reservacionibus specialibus de certis canonicatibus et prebendis singularum et certarum personarum in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis, quibuscunque seu de certis beneficiis ecclesiasticis personarum certarum cum cura vel sine cura *[per nos tunc factis aut in posterum faciendis nequaquam obstantibus, expectantes . . . cf. n⁰ 38]* presentes pariter et futuri, canonicatus

et prebendas tam in cathedralibus quam collegiatis ecclesiis supradictis necnon beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, quorum quidem fructus, reditus et proventus, si cum cura sexaginta, si vero sine cura forent quadraginta librarum Turonensium parvorum secundum taxacionem decime valorem annuum non excederent, perinde usque ad biennium tunc proximo futurum vigore dictarum litterarum nostrarum libere acceptare et de ipsis sibi facere provideri valerent ac si predicte reservaciones per nos, ut premittitur, facte seu faciende, acceptaciones seu provisiones huiusmodi minime precessissent. Cum itaque, sicut accepimus, a pluribus in dubium revocetur, utrum in voluntate ac decreto nostris predictis nos intellexerimus loca canonicalia ecclesiarum, monasteriorum ac prioratuum et quorumvis aliorum locorum regularium, certum canonicorum numerum habencium, que persone regulares tunc temporis[1]) obtinuerant aut[2]) obtinebant vel obtinerent in antea, per nos tunc temporis specialiter reservata vel in posterum reservanda, ut premittitur, comprehendi, nos ad sopiendum lites, que exinde oriri possent[3]), dubitacionis huiusmodi materiam amputare volentes, auctoritate apostolica tenore presencium declaramus, nostre intencionis existere ac eciam extitisse, quod loca canonicalia prefata tunc vacancia et in antea vacatura in voluntate ac decreto predictis nullatenus includantur. Nulli ergo etc.

Datum Avinione idibus[4]) Aprilis a. quarto.

---

1) deest: V.
2) ac: V.
3) possint: V.
4) idus pontificatus nostri: V.

41.

1346 ? —.
Reg. Vat. t. 217 fol. 1 n° 1.

Clemens episcopus servus servorum Dei.
Ad futuram rei memoriam.

Provida sedi*[s apostolice beni]*gnitas comodis (sic) filiorum more pie matris libenter intendens, materiam iurgiorum *[ac licium]*, quibus sepe gravantur, quantum fieri potest, cum veritate iustitie removet et subd*[itorum]* sane multorum querele nostrum frequenter hactenus pulsaverunt auditum, quod, cum per nos *[de]* dignitatibus, personatibus, officiis et aliis beneficiis ecclesiasticis regularibus et secularibus cum cura vel s*[ine cura]*, que per fe. re. Johannem XXII. vel Benedictum XII. Romanos pontifices predecessores *[nostros]* cum inhibicione ac decreto sedis predicte collacioni reservata fuerunt, aliquibus provideri con*[tigerit]*, huiusmodi reservacionem et decretum in litteris nostris inde confectis narrando ac deinde super *[eisdem]* beneficiis litigatur, eis, quibus probacionis onus super eisdem reservacione et decreto . . . eadem probacio ipsis redditur nedum . . . multipliciter onerosa; nostre *[igitur*

*provi]*sionis remedio super hiis humiliter *[implorato],* nos attendentes, quod, antequam littere nostre . . . conficiuntur super huiusmodi provisionibus expediantur et mittantur ad bullam per fidelem . . . et informacionem regestrorum eorundem predecessorum fit fides plenaria de reservac*[ione ac]* decreto predictis, cupientesque maliciosis in hac parte litigancium cavillacionibus et liti . . . tilibus, anfractibus, quibus frequenter retardatur vel impeditur iusticia, quantum cum *[Deo est]*, obviare, volumus, statuimus et auctoritate apostolica decernimus, litteris nostris super provis*[ionibus eisdem]* confectis reservacionem ac decretum huiusmodi, super quibus gracia nostra fundatur, narrantibus . . . super eis fidem plenariam absque alterius probacionis adminiculo in iudiciis *[vel extra esse]* adhibendam ac si factum nostrum proprium quoad reservacionem et decretum predicta in e*[isdem litteris]* narraretur; hec non solum ad presencia et futura, sed eci*[am ad preterita]* extendenda. Nulli ergo etc.

Datum apud Villam Novam Avinionensis diocesis II. non. [?] a. quinto.

42.

1347 Oct. 5.
Reg. Vat. t. 141 n⁰ 1436.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut multorum assercio nostrum frequenter pulsavit auditum, nonnulli tam in speciali quam in communi pauperum forma auctoritate litterarum nostrarum beneficia ecclesiastica in diversis mundi partibus expectantes, propter reservaciones de beneficiis factas huiusmodi in assecucione beneficiorum, que alias ipsis, nisi eis reservaciones obstitissent huiusmodi, debebantur, fuerint impediti. Nos expectantibus ipsis, benigno compacientes affectu, volumus et auctoritate apostolica presencium tenore decernimus, quod tam ipsi quam posteri prebendas in quibuscumque collegiatis ecclesiis ac alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura ubilibet expectantes perinde usque ad unum annum, a data presentis constitucionis nostre in antea computandum, huiusmodi prebendas earundem ecclesiarum et beneficia ipsa cum cura vel sine cura, quorum tamen beneficiorum fructus, redditus et proventus, si cum cura sexaginta, si vero sine cura fuerit quadraginta librarum Turonen. parvor. secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, si qua vacant ad presens vel cum vacaverint, alias tamen eis vigore dictarum litterarum debita, acceptare ac executores, ad execucionem predictarum litterarum eis deputati, de illis providere ipsis ac ad ulteriorem execucionem litterarum predictarum procedere iuxta earum formam libere valeant. Non obstantibus quibuscumque reservacionibus specialibus de prebendis ac beneficiis ipsis per nos factis et in antea faciendis, ac si de prebendis et beneficiis ipsis nulla specialis reservacio facta foret. Nostre tamen intencionis existit, quod voluntas et constituciones nostre huiusmodi ad prebendas et beneficia huiusmodi, que ante hodiernam diem vacaverunt, quamquam de illis nondum fuerit ordinatum

et ad prebendas, que obtinentes vel obtenturi dignitates, personatus et officia, sive administraciones in eisdem ecclesiis tempore vacacionis prebendarum huiusmodi obtinebant, quamquam prebende ipse dignitatibus, personatibus et officiis ipsis minime sint unite, et ad quecumque regularia beneficia nullatenus extendantur. Nulli etc.

Datum Avinione III. non. Octobris a. sexto.

43.

1348 Febr. 3.
Cod. B. fol. 111—114.

Processus contra illos, qui impediunt venientes ad Romanam curiam. Clemens episcopus etc.

Venerabili fratri *[Walramo]* archiepiscopo Coloniensi et dilecto filio eius vicario in spiritualibus et officiali salutem et apostolicam benedictionem. Graves Deo et nobis ac sedi apostolice irrogantur iniurie, cum venientes ad eam aut recedentes ab ipsa molestacionibus opprimuntur indebitis ac personarum et rerum dispendiis pregravantur, ad quas propulsandas iniurias cuncti fideles eo se debent promptiores impendere, quo eis expedire noscitur, ut ad sedem ipsam securus habeatur accessus. Sane ad apostolatus nostri, dilecto filio Symone Debriseke decano ecclesie Lithefeldensis referente, pervenit auditum, quod cum nuper idem Symon, cui in Romana curia tunc primum de decanatu predicte ecclesie tunc vacante per nostras litteras duxeramus providendum, cum litteris provisionis huiusmodi de predicta curia versus partes Anglie et decanatum suum huiusmodi recedens et iter suum continuans per quoddam castrum nuncupatum Trecht super Mosam, Leodiensis diocesis, transiret, Everwinus de Goderswiche et Godsvinus de genere milites Coloniensis diocesis cum quibusdam suis in hac parte complicibus de capiendo et detinendo eundem decanum pro redemptione pecuniaria de ipso obtinenda in dicto castro tractarunt et consenserunt (sic); dictusque Everwinus cum quibusdam suis et dicti Gosvini complicibus eundem decanum insecutus fuit et in ipsum violenter et predonice irruens, ipsum temere et iniuriose cepit, et captum non sine manuum iniectione violenta in eum per multa loca predictarum Leodiensis et Coloniensis diocesium duxit, et tandem in castro de Haghembech, Monasteriensis diocesis, primo in cippis fortissimis et subsequenter in compedibus ferreis cum una cathena ferrea ac si fuisset latro seu homicida incarcerari fecit, ac captum et incarceratum tenuit contra voluntatem ipsius decani per se et suos complices et fautores et ipsum relaxare seu liberare noluit sed expresse recusavit, licet fuisset super hoc congrue requisitus, donec dilecti filii Johannes de Rufoclipeo et Petrus de Turing, cives Colonienses, pro redemptione eiusdem decani in tribus milibus et centum florenis auri de scuto eidem Everwino et Johanni Loyec militi dicte Coloniensis diocesis se obligarunt (sic) et octingentos florenos de scuto in parte solucionis summe

predicte solverunt (sic), dictumque decanum omni actioni sibi contra eos vel eorum fautores premissorum occasione competenti vel competiture renunciare per iuramentum et eorum absolucioni consentire compulit et sic eundem decanum eisdem civibus Coloniensibus finaliter liberavit. Cum itaque per nos et nonnullos Romanos pontifices predecessores nostros in certis anni solempnitatibus omnes turbatores, spoliatores et impeditores veniencium ad sedem predictam et recedencium ab eadem necnon illi, qui tales temeritate propria spoliare, capere vel detinere presumerent aut talia fieri facerent vel mandarent, cuiuscunque preeminencie, dignitatis, ordinis condicionis aut status existerent, excommunicacionis et anathematis sentenciis sint astricti, non obstantibus quibuscunque privilegiis eis vel eorum alicui vel aliquibus a predicta sede sub quacunque forma vel tenore verborum concessis, quod excommunicari non possint seu per que contra huiusmodi sentencias et processus, quominus includeretur in eis, valerent quomodolibet se tueri, que quoad hoc sustulimus et omnino duximus revocanda. Volentes nihilominus, quod ab eisdem sententiis nullus per alium quam per Romanum pontificem nisi duntaxat in mortis articulo constitutus nec tunc eciam, nisi de stando mandatis ecclesie satisfactione vel sufficienti caucione premissa, posset absolvi; eos insuper cuiuscunque forent preeminencie, dignitatis, ordinis, condicionis aut status, qui excommunicatis et anathematizatis eisdem ab huiusmodi sentenciis absolucionis beneficium presumerent impartiri (sic), volumus excommunicacionis et anathematis sentencia innodari, eis nichilominus predicacionis, lectionis, administracionis sacramentorum et audiendi confessionis officium interdicentes expresse sicut in litteris nostris inde confectis et tunc in portis maioris ecclesie Avinion., ut ad communem omnium noticiam premissa deducerentur, affixis plenius continetur. Nos attendentes, quod non decet nec expedit prenominatos sacrilegos et quoscunque alios super huiusmodi horrendis et detestandis excessibus eis prestantes auxilium, consilium et favorem absque animadversione debita relinquere incorrectos, discrecioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios omnes et singulos clericos et laycos huiusmodi sacrilegii patratores necnon eos, qui super eis dederint auxilium, consilium vel favorem generaliter per omnes ecclesias et loca, in quibus expedire videritis, excommunicatos et anathematizatos publice nuncietis et faciatis ab aliis nunciari et de predictis omnibus et singulis et ea (sic) contingentibus auctoritate nostra simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii solerti et fideli adhibita diligencia tam in vestris civitatibus et diocesibus quam locis aliis, de quibus expedire videritis, vos informetis et predictos milites et omnes et singulos alios clericos et laycos cuiuscunque preeminencie, dignitatis, ordinis, status vel condicionis existant, quos per informacionem huiusmodi reppereritis commisisse aut committi fecisse vel mandasse predictos excessus, aut in eis committendis prestitisse auxilium, consilium vel favorem, nominat in (sic) tamdiu excommunicatos et anathematizatos diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis in eisdem ecclesiis atque locis cum maior in eis cleri et populi fuerit multitudo

publice nuncietis et per alios nunciari faciatis et ab omnibus artius evitari, donec predicto decano passa iniuria huiusmodi, iuramento e consensu prestitis ac renunicacione per decanum et obligacione per cives predictos, ut prefertur, factis nequaquam obstantibus, que quidem iuramento et consensu relaxanda et renunciacione decani et obligacione civium predictorum revocanda duximus, predictos octingentos florenos de scuto, ut premittitur, solutos restituerint et illis de iniuriis eidem decano irrogatis satisfacerint competenter et cum litteris vestris rei veritatem continentibus ad predictam sedem venerint absolvendi, et alias constituciones provinciales Colonienses contra invasores captores et detentores ac spoliatores clericorum et personarum ecclesiasticarum eorum terras et loca editas faciatis inviolabiliter observari. Contradictores etc.

Datum Avinione III. non. Februarii a. sexto.

44.

1351 Dec. 6.
Cod. B. fol. 139.

Revocacio reservacionum.

Clemens episcopus etc. Ad futuram rei memoriam.

Apostolice sedis providencia circumspecta nonnunquam ordinata per eam revocat et commutat, prout varietatibus temporum et commoditatibus subditorum diligenter attentis id conspicit salubriter et utiliter expedire. Sane, cum multas reservaciones de canonicatibus et prebendis tam cathedralium quam collegiatarum ecclesiarum et aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura in diversis mundi partibus consistentibus, intendentes de illis, cum vacarent, per dicte Sedis providenciam ordinari, cum interposicione decreti duxerimus diversis successive vicibus faciendas, nos, ex certis causis, que ad id nostrum animum induxerunt, omnes reservaciones huiusmodi factas de canonicatibus et prebendis ac beneficiis supradictis, de quibus nondum providimus seu mandavimus provideri, auctoritate apostolica tenore presencium revocamus illasque deinceps nullius esse decernimus firmitatis. Volumus tamen revocacionem nostram huiusmodi ad dignitates, personatus et curata officia quomodolibet non extendi. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Datum Avinione VIII. idus Decembris pontificatus nostri a. decimo.

45.

1352 Martii 11.
Cod. B. fol. 139—140.

Declaracio super revocacione reservacionum.

Clemens episcopus etc. Ad futuram rei memoriam.

Dudum videlicet 8. idus decembris proximo preteriti omnes reservaciones factas per nos de canonicatibus et prebendis tam cathedralium et aliarum

ecclesiarum quam aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, de quibus nondum provideramus seu provideri mandaveramus ex certis causis revocavimus et nullius tunc esse decrevimus firmitatis. Volumus tamen, revocacionem huiusmodi ad dignitates, personatus et curata officia non extendi. Intendentes igitur viam quibuscunque dubiis, que quoad vacancia tempore huiusmodi revocacionis beneficia possent circa revocacionem eandem exoriri forsitan, amputare auctoritate apostolica, tenore presencium declaramus, nostre intencionis fuisse et esse, revocacionem eandem ad canonicatus et prebendas ecclesiarum ipsarum et alia beneficia ecclesiastica quecunque et qualiacunque tempore huiusmodi reservacionis ubicunque et quomodocunqe vacancia non extendi, decernentes, prout est irritum et inane, quicquid contra declaracionem nostram huiusmodi attemptatum est vel contigerit attemptari. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Datum Avinione V. idus Marcii pontificatus nostri a. decimo.

46.

1352 Dec. 19.
Cod. B. fol. 140—141.

Declaracio, quod forma perinde valere vel alia confirmacio ita afficit sicut collacio.

Clemens etc. Ad futuram rei memoriam.

Dudum omnes canonicatus et prebendas, dignitates, personatus, officia et ecclesias, cetera beneficia ecclesiastica,[1]) secularia et regularia, cum cura vel sine cura, per assecucionem pacificam quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum per nos seu auctoritate litterarum nostrarum collatorum et inposterum conferendorum collacioni et disposicioni nostre duximus reservanda, decernentes extunc irritum et inane attemptari.

Postmodum vero nonnulle persone, quibus auctoritate ordinaria vel alia nonnulla beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura collata fuerant et eis de illis provisum extiterat, que se non compaciebantur cum beneficiis ecclesiasticis, que tempore collacionis et provisionis huiusmodi optinebant[2]) (sic) a nobis diversis[3]) successivas temporibus impetrarunt collaciones et provisiones huiusmodi. Non obstantibus quibuscunque reservacionibus confirmari aut sibi concedi sive decerni collaciones et provisiones easdem perinde valere ac si[4]) beneficia ipsa collacionum et provisionum de illis factorum temporibus reservata nullatenus extitissent. Cum autem, sicut accepimus, a nonnullis in dubium revocatur, an de huiusmodi beneficiis, que persone tempore huiusmodi collacionum et provisionum temporibus, ut premittitur, obtinebant[5]) et que[6]) per assecucionem aliorum beneficiorum predictorum, de quibus collaciones et provisiones factas confirmavinus aut illas[7]) voluimus sive concessimus aut decernimus perinde valere ac si reservata non essent, sicut premittitur, posset per alium, quam per nos ordinari.

Nos, ad omne dubium super hoc summovendum, auctoritate apostolica declaramus de huiusmodi beneficiis, eciamsi dignitates, personatus et officia sint aut fuerint aut curam habeant animarum, que per assecucionem aliorum beneficiorum, de quibus collaciones et provisiones factas et faciendas confirmavimus et confirmabimus aut concessimus sive decrevimus[8]) vel voluimus, concedemus[9]) sive volemus aut decernemus valere. Non obstantibus reservacionibus factis forsitan de eisdem (sic) vacaverunt vel vacabunt, non potuisse nec posse per alium quam Romanum pontificem ordinari, decernentes iritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel[10]) ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel contigerit in posterum attemptari. Nulli ergo etc.

Datum Avinione XIIII.[11]) kal. Januarii a. undecimo.

[1]) deest: V.
[2]) obtinebat: V.
[3]) diverse (!): V.
[4]) aut (!): V.
[5]) obtinebat: V.
[6]) qui (!): V.
[7]) illa (!): V.
[8]) decernimus: V.
[9]) concedimus sive volumus ac decernimus: V.
[10]) ultima verba desunt: V.
[11]) XIII.: V.

47.

1360 Julii 10.
Reg. Aven. Innoc. VI. t. 23 fol. 391 t.º.

Dilecto filio Henrico, nato quondam Henrici de Valkenow, perpetuo vicario in ecclesia Wratislauiensi, salutem etc.

Probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam fidedignorum testimonio iuvari percepimus, nos inducunt, ut te dono specialis gracie prosequamur. Cum itaque perpetua vicaria in ecclesia Wratislauiensi vacaverit et vacet ad presens, quod dilectus filius Johannes dictus de Valkenow, rector parrochialis ecclesie in Pothwinsdorf[1]), Wratislauiensis diocesis, tunc dictam vicariam obtinens, eiusdem parrochialis ecclesie tunc vacantis auctoritate litterarum nostrarum sibi collate, possessionem pacificam est adeptus nullusque de dicta vicaria preter nos hac vice disponere potuerit neque possit pro eo, quod nos diu ante vocacionem huiusmodi omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura quorumcunque per assecucionem pacificam parochialium ecclesiarum et beneficiorum aliorum ecclesiasticorum per nos seu auctoritate nostra tunc collatorum et in antea conferendorum eis tunc vacancia et imposterum vacaturorum collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nos volentes tibi premissorum meritorum tuorum intuitu graciam facere specialem, dictam vicariam sic

vacantem, cuius fructus, redditus et prouentus quadraginta quinque florenorum auri secundum taxacionem decime volorem annuum non excedunt, eciamsi sit alias disposicioni apostolice reservata, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus, decernentes, prout est irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum´ forsan est hactenus vel imposterum contigerit attemptari. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc.:

Datum apud Villam Novam Avinionensis diocesis VI. idus Julii a. octavo.

In eodem modo — Dilectis filiis . . . Sancte Marie in Arena Wratislauiensis et Sancti Vincencii prope Wratislauiam monasteriorum abbatibus ac . . . . decano ecclesie S. Agricoli Avinionensis salutem etc.

Datum ut supra.

[1]) Bösdorf.

48.

1353 Febr. 7.
Reg. Vat. t. 235. fol. 23.

Carissimo in Christo filio Johanni, Regi Francie Illustri salutem etc.

Dilectus filius magister Petrus de Caritate, canonicus Parisiens. in utroque iure licenciatus, consiliarius et nuntius tunc lator presencium, qui commissa ei negocia tua, tam apud fe. re. Clementem papam VI. predecessorem nostrum, dum viveret, quam, eodem predcessore sublato de medio, apud nos prudenter et provide, adhibita solicita diligencia, prosequi studuit, ad te ad presens revertitur, a quo quicquid in negociis ipsis actum est et qualiter nos peticiones pro parte tua nobis exhibitas benigne recepimus et eas, quantum cum deo potuimus, ad exaudicionis graciam duximus admittendas, audies seriose sicut a ven. fratre nostro Guidone, episcopo Portuen., qui ad partes ipsas nuper se contulit, serenitas tua potuit eciam audivisse. Si autem peticionem illam super conferendis canonicatibus tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum regni tui personis per te nominandis cum reservacione prebendarum ecclesiarum ipsarum conferendarum personis eisdem nomine tuo nobis exhibitam in ea forma, in qua exhibita fuerat, non duximus admittendam, eo credimus equanimiter amplius te laturum, quo importabile quodammodo onus ei similibus graciis hactenus impositum eisdem ecclesiis adiectionem ulterioris oneris non admitit quinymo compassionis affectum ergo ipsas ecclesias exigit et ab imposicione sarcine gravioris suadet presencialiter abstinendum. Tu eciam, carissime fili, affectionem et caritatem, quam ad te regnumque tuum in minoribus constituti habuimus, hactenus didicisti, que, dum cum angmento status virium quoque incrementa suscepit, tenere debes indubie, quod nos votis tuis, quantum cum deo possumus, libenter annuimus et ea oportunis, eo prestante favoribus, prosequamur.

Datum Avinione VII. idus Februarii a. primo.

49.

1353 Maii 18.
Reg. Vat. t. 221. fol. 3. nº 32.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoris eterni, cuius licet immeriti vices in terris gerimus, doctrinis instruimur eiusque salutaribus monitis edocemur, ut ovibus gregis dominici, quas propriorum pastorum solacio conspicimus destitutas, ex iniuncto nobis apostolice servitutis officio providere de rectoribus ydoneis et pastoribus propriis studeamus. Cum itaque nonnullis personis, cathedralium et aliarum ecclesiarum ac monasteriorum regiminibus presidentibus necnon prelaturas alias ac prioratus, dignitates, personatus, administraciones, officia, ecclesias, loca et beneficia ecclesiastica, secularia seu regularia, obtinentibus, alia tam cathedrales quam alie ecclesie, monasteria, prelature, prioratus, dignitates, personatus, administraciones, officia et beneficia atque loca ecclesiastica secularia et regularia, per inprobas peticiones et importunas instancias aut alias fuerint hactenus auctoritate apostolica commendata et nonnullis eciam tam presidentibus regiminibus antedictis quam aliis prelaturas, dignitates, personatus, administraciones, officia, ecclesias, loca et beneficia secularia et regularia obtinentibus, quod alia prelaturas, dignitates, personatus, administraciones, officia, ecclesias loca et beneficia ecclesiastica huiusmodi tum illis, quorum regiminibus presidebant, aut que, ut premittitur, obtinebant simul ad certum tempus seu ad beneplacitum apostolice sedis aut quamdiu preessent locis et regiminibus supradictis seu prelaturas, dignitates, personatus, administraciones, officia seu beneficia predicta obtinerent, licite retinere valerent, quod alias sine dispensacione canonica non valebant, eadem auctoritate concessum extiterit. Nos attendentes, quod occasione commendarum et concessionum huiusmodi in commendatis et retentis eisdem, sicut experiencia docuit, ut plurimum divinus cultus minuitur animarum in eis, quibus imminet cura negliguntur (sic)[1], hospitalitas consueta et debita[2]) non servantur (sic)[3]) ruinis edificia patent, ipsorum iura in spiritualibus et temporalibus collabuntur. Ac propterea huiusmodi malis occurrere et ecclesiis et monasteriis, prelaturis, beneficiis et aliis predictis taliter commendatis et retentis de pastoribus et rectoribus propriis, qui eis preesse[4]) velint et valeant previdere, ex premissis et aliis certis racionabibus causis, ad hoc animum nostrum inducentibus, nonnullorum quoque predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum in hac parte vestigiis inherentes, digesta super hoc deliberacione eciam cum fratribus nostris Sancte Romane ecclesie cardinalibus prehabita, omnes et singulos[5]) (sic) commendas et concessiones huiusmodi de quibuscumque cathedralibus vel aliis ecclesiis monasteriis prelaturis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, administracionibus, officiis et beneficiis ac locis ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, quorumcumque ordinum quocumque nomine censeantur ex quibuscumque predecessoribus nostris Romanis Pontificibus quibuscumque personis secularibus vel regularibus cuiuscumque dignitatis status ordinis vel condicionis exsistant per Litteras Apostolicas vel earum auctoritate, ut premittitur, sub quavis

forma vel conceptione verborum, illis commendis et concessionibus, que, per eosdem predecessores fratribus nostris Sancte Romane ecclesie cardinalibus, qui nobiscum assidue regiminis universalis ecclesie parciuntur[6]) onera, facte fuisse noscuntur, exceptis, auctoritate apostolica penitus revocamus et omnino iuribus vacuamus. Ipsaque ecclesias, monasteria, prelaturas, prioratus, dignitates, personatus, administraciones, officia et beneficia atque loca taliter commendata vel retenta, ut illis de propriis et utilibus gubernatoribus, auctore domino, providere possimus, ordinacioni et disposicioni nostre hac vice, auctoritate apostolica, reservamus. Inhibentes, ne quis preter Romanum Pontificem, quantumque sit super hoc auctoritate munitus, de ipsis ecclesiis, monasteriis, prelaturis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, administracionibus, officiis et beneficiis atque locis disponere vel circa illa quicquam innovare presumant ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Verum, ne aliqui insaciabili ambicione seu improba temeritate abstinere nescientes a vetitis nec debito modo gaudere concessis attemptent presumptione dampnabili premissa eis taliter commendata vel retenta contra revocacionem hujusmodi per nos factam exquisitis fraudibus seu presumptuosis ausibus retinere, presenti ordinacioni duximus subjungendum, quod hii, qui tenebant ecclesias, monasteria, prelaturas, administraciones, officia, beneficia et loca hujusmodi commendata vel retenta infra duos menses, a data presencium computandos, possessionem et detencionem eorum pure, libere, realiter et cum effectu dimittere teneantur et ad illa nunquam sine nova provisione seu disposicione ab illis, qui super hoc potestatem habuerint facienda redire ac eorum administracioni per se vel alium se immiscere presumant. Et nihilominus infra unum mensem, immediate predictos duos menses sequentem, de dimissione hujusmodi sub testimonio publico procurent, camerarium nostrum reddere cerciorem. Alioquin episcopi et eorum superiores ab officio et administracione suspensi, ceteri vero omnibus prelaturis, dignitatibus, personatibus, officiis aut aliis beneficiis et locis quibuscunque, que obtinent, sint ipso facto privati ac prorsus inhabiles ad alia imposterum obtinenda. Circa commendas autem, de quibusdam cathedralibus ecclesiis et aliis beneficiis,[7]) quibuscumque venerabilibus fratribus nostris patriarchis factis, quas ex certis aliis racionabilibus causis in presenti ordinacione et reservacione nostra includi nolumus nec eciam comprehendi, ordinare intendimus, cum nobis videbitur expedire. Nulli ergo etc.

Dat. aput Villam Novam Avinionen. diocesis XV. kal. Junii a. primo.[8])

---

1) negligitur: B.
2) debita et consueta: B.
3) servatur: B.
4) pariter et prodesse: B.
5) singulas: B.
6) paciuntur: B.
7) ecclesiis: B.
8) sine die: B.

50.

1362 Jan. 16.
Cod. B. fol. 151—154.

Quod ordinarii possint conferre personis ydoneis beneficia vacancia reservata.

Innocencius etc. Ad ea, que divini cultus augmentum ac ecclesiarum et ecclesiasticorum beneficiorum statum respiciunt libenter intendimus et animarum periculis, quantum cum deo possumus, affectuosis studiis obviamus. Cum itaque ad audienciam nostram pervenerit, quod nonnulla canonicatus et prebende, ecclesie et alia beneficia ecclesiastica, secularia et regularia cum cura et sine cura, tam apud apostolicam sedem, quam in aliis diversis mundi partibus, diversimode vacaverunt et vacant ad presens, quorum collacio et disposicio vigore reservacionum per nos factarum aut iure devoluto seu alias dumtaxat hac vice *[ad hos]* pertinent, quorumque provisio, cum singulorum ipsorum beneficiorum vacacio ad nostram noticiam non pervenerit, in animarum periculum et beneficiorum ipsorum dispendium non modicum retardatur. Nos volentes super hoc paterne pietatis remedio providere ac huiusmodi dampnis et periculis obviare, omnibus et singulis locorum ordinariis et alis quibuscunque, ad quos alias canonicatuum et prebendarum ac ecclesiarum et beneficiorum huiusmodi collacio, provisio aut presentatorum ad illa institucio de iure vel consuetudine communiter vel divisim pertinet, conferendi hac vice dumtaxat auctoritate apostolica huiusmodi canonicatus et prebendas ac ecclesias et alia beneficia ecclesiastica sic ad presens vacancia, prout alias ad eos *[collacio]* communiter vel divisim pertinet, dummodo singulorum ipsorum canonicatuum et prebendarum et aliorum beneficiorum fructus, redditus et proventus, si cum cura viginti si vero sine cura fuerint quindecim librarum Turonen. parvorum secundum taxacionem decime, ubi ad decimam taxati sunt, alias vero secundum communem extimacionem, valorem annuum non excedant, singula eorum videlicet singulis personis ydoneis eciam unum vel duo ecclesiastica beneficia obtinentibus vel expectantibus et de ipsis providendi et eciam disponendi, inducendi quoque per se vel alium seu alios personas ipsas vel procuratores eorum ipsarum nomine in corporalem possessionem canonicatuum et prebendarum ecclesiarum et beneficiorum ipsorum iurium et pertinencium ipsorum et defendendi inductas, amotis exinde quibuslibet detentoribus ab eisdem ac faciendi personas ipsas vel procuratores earum ad prebendas huiusmodi in ecclesiis, in quibus fuerint in canonicos recepti et in fratres, stallo eis in choro et loco in capitulo cum plenitudine iuris canonici assignatis, et ad ecclesias et alia beneficia ecclesiastica supradicta, ut est moris, admitti eisque de ipsorum canonicatuum et prebendarum ac ecclesiarum et beneficiorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obuencionibus universis integre responderi. Contradictores etc.

Non obstantibus reservacionibus, devolucionibus et aliis quibuscumque, per que ipsorum beneficiorum collacio et disposicio ad nos hac vice dumtaxat, ut premittitur, pertineret necnon quibuscunque statutis etc. . . . usque insistant. Seu ac super provisionibus[1]) etc. . . . generari.

Seu si eisdem ordinariis etc. . . . mencio specialis. Aut si dicte persone presentes non fuerint etc. . . . illud prestent, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem ita tamen, quod his, ad quos in canonicatibus et prebendis et aliis beneficiis huiusmodi seu ad ea de iure vel simili consuetudine ius presentandi aut nominandi pertinet, possint ad canonicatus et prebendas aliaque beneficia supradicta infra tempus legitimum, a noticia presencium computandum, personas ydoneas presentare et eciam nominare et hii, ad quos ipsorum presentatorum et nominatorum institucio pertinet, ut prefertur, alias ipsis taliter presentatis seu nominatis possint et debeant de ipsis cauonicatibus et prebendis aliisque beneficiis eadem auctoritate apostolica ,ut prefertur, providere. Nos enim, prout est irritum etc. . . . attemptari. Nulli ergo etc.

Datum Avinione XVII. kal. Februarii pontificatus nostri a. decimo.

---

[1]) formulae consuetae hic non amplius ponuntur in extenso.

51.

1363 Jan. 5.
Cod. B. fol. 159—162.

Revocacio expectacionum factarum per Innocencium VI.
Urbanus etc. Ad futuram rei memoriam.

Ad ea, per que ecclesie et ecclesiastica loca a gravaminibus releventur, libenter partes apostolice solicitudinis adhibemus.

Attendentes itaque, quod sicut nobis innotuit multi etc. . . . *(ut in constitucione Benedicti XII. n⁰ 19)* . . . in dictis ecclesiis vel monasteriis sive locis et eciam ad illos, qui huiusmodi prebendas, dignitates, personatus vel officia aut alia quecunque beneficia, vigore graciarum eis factarum, per fe. re. Innocencium papam VI. predecessorem nostrum, super quibus tempore obitus ipsius predecessoris apostolice littere confecte non fuerant, expectabant illaque vacancia et eis debita ante XIIII. kal. decembris proxime preteriti in forma debita acceptarunt, presentem constitucionem volumus non extendi. Nos insuper irritum etc. Nulli ergo etc.

Datum Avinione nonis Januarii pont. nostri a. primo.

52.

1363 Martii 30.
Reg. Vat. t. 245. fol: 122.

Ad Perpetuam rei Memoriam.

Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis patris et filii et spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli ac nostra

omnes Gazaros, patarenos, pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, Passaginos, ac quoscunque alios hereticos, quocunque nomine censeantur, ac omnes fautores et receptores, credentes et defensores eorum. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios et latrunculos marinos ac omnes fautores receptores et defensores eorum. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui in terris suis nova pedagia imponunt. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, lignamina vel alia prohibita deferunt sarracenis, quibus christianos impugnant. Item excommunicamus el anathematizamus omnes falsarios Bulle et litterarum apostolicarum et peticionum, graciam et iusticiam continencium, per summum pontificem aut vicecancellarium seu gerentem officium vicecancellarii Sancte Romane Ecclesie de mandato eiusdem summi pontificis signatarum, aut sub nomine summi Pontificis seu vicecancellarii vel gerentis officium vicecancellarii predictorum signancium peticiones easdem. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad sedem apostolicam venientes vel recedentes ab ea necnon illos, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habentes, eos, qui in romana Curia morantur, temeritate propria capere, spoliare vel detinere aut ex proposito deliberato vulnerare atrociter vel interficere presumunt et qui victualia vel alia ad usum Romane curie necessaria impediunt, ne ad sedem predictam deferantur et qui talia fieri faciunt sive mandant ac alios, qui scienter eis favent vel ipsos receptant aut defendunt, cuiuscunque fuerint ordinis preeminencie, condicionis et status, eciamsi pontificali seu alia ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios quascunque personas ecclesiasticas et seculares ad eandem curiam super eorum causis et negociis recurrentes, illaque in Romana curia prosequentes aut procuratores, gestores, advocatos, vel promotores ipsorum seu eciam Auditores vel iudices, qui super dictis causis vel negociis deputantur vel de eadem Romana curia recedentes, occasione causarum vel negociorum huiusmodi verberant, mutilant vel occidunt, aut bonis spoliant eorumdem, cuiuscunque preeminencie, dignitatis, ordinis, condicionis aut status fuerint, eciamsi pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate predicta vel eorum aliqua committentes. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios directe vel indirecte sub quocunque titulo vel colore civitates, castra, villas, terras, ac loca et iura quelibet alia ipsius ecclesia Romane vel aliqua seu aliquam eorum aut ipsorum vel aliquorum seu alicuius ipsorum partem ac eciam comitatum Venaisini et civitatem Avinionensem cum eius territorio necnon castra, loca et fortalitia ad ecclesiam Avionensem pertinencia scienter occupant et detinent occupata. Non obstantibus, si aliquibus cuiuscunque ordinis condicionis, status, dignitatis et preeminencie fuerint etsi, ut predicitur, pontificali seu quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, communiter vel divisim a sede predicta sit concessum, quod excommunicari et anathematizari non possint per litteras apostolicas, que plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi necnon ordinibus, locis, nominibus propriis et cognominibus, ac dignitatibus eorum non fecerint

mencionem, necnon privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus ac consuetudinibus et observanciis, scriptis, et non scriptis, contrariis quibuscunque, per que contra premissa vel eorum aliqua seu aliquod possent quomodolibet se tueri, que quoad hec cassamus, irritamus et tollimus ac viribus vacuamus. Eos insuper, qui huiusmodi sentencias per nos latas incurrerint, nullus, nisi dumtaxat romanus pontifex absolvere valeat, preterquam in mortis articulo constitutos. Ut autem huiusmodi nostri processus ad communem omnium noticiam deducantur, cartas sive membranas, processus continentes eosdem, maiores ecclesie Avinionensis appendi vel affigi ostiis sive superliminaribus faciemus, que processus ipsos, suo quasi sonoro preconio et patulo iudicio publicabunt, ut hii, quos processus contigerint, nullam possint excusacionem pretendere vel ignoranciam allegare, quod ad eos non pervenerint vel quod ignoraverint eosdem, cum non sit verisimile quoad eos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Nulli ergo etc.

Datum et Actum Avinione III. kal. Aprilis a. primo.

53.

1370 Julii 29.
Reg. Vat. t. 250 fol. 132 t⁰.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum, cum in Urbe constituti essemus, videlicet VIII. Idus Marcii pontificatus nostri anno sexto, omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica secularia et regularia cum cura et sine cura tunc in prefata Urbe quomodocumque vacancia et in antea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane . . . attemptari.

Nunc vero, ex certis racionabilibus causis ad id nostrum inducentibus animum, huiusmodi reservacionem et decretum quoad beneficia titulorum cardinalium sancte Romane ecclesie et capellarum papalium dumtaxat, solita per vicarium nostrum in spiritualibus in Urbe predicta conferri, in dicta Urbe ad presens vacancia et que imposterum ibidem vacare contigerint, revocamus cassamus et irritamus ac nullius esse decrevimus roboris vel momenti, et, ne de huiusmodi revocacione, cassacione, irritacione ac decreto nostris valeat imposterum hesitari, ea fecimus presentibus annotari. Nulli ergo etc.

Datum apud Montem flasconem IV. kal. Augusti a. octavo.

Corrigenda.

Legendum est p. 7 n. 2 l. 3: Sedis Legato.
" " " 25 l. 26: episcopales sedes.
" " " 29 l. 27: singulas cathedrales.
" " " 40 n. 1. l. 15: 1346 — ? — [Reg. Vat. 217 fol. 1 n⁰ 1].

Rerum Index.

Natus sum Carolus Lux die XXVI. Januarii MDCCCLXXII in dominio Wellenhof nuncupato prope Nissam sito, patre Carolo eiusdem dominii proprietario, matre Clementina e gente Scholz. Patrem praematura morte mihi ereptum vehementissime lugeo.

Primis litterarum elementis imbutus, undecim annos natus gymnasium regium catholicum Nissense adii ibique studiis humanioribus per novem annos operam navavi.

Maturitatis testimonium a. MDCCCXCII adeptus Tubingam me contuli, ubi inter R̃m̃i Theologorum Catholicorum Ordinis alumnos receptus unum semestre in litteris versatus sum. Eadem studia theologica et philosophica per quattuor annos partim Wratislaviae in Universitate Regia Viadrina partim Friburgi-Nuithonum in Universitate Catholica persecutus sum.

Scholis interfui doctissimorum et illustrium virorum:

a) ex R̃m̃o Theologorum Catholicorum Ordine Dr. Dr.:
Boisdron, Commer, Frantz, Friedlieb, Fritsch, v. Funk, Koenig, Krawutzcky, Laemmer, Mandonet, Michel, Müller, Nürnberger, Del Prado, Probst, Scholz, Steffens, Vetter.

b) ex Philosophorum et Jurisconsultorum Ordine Dr. Dr.:
Baeumker, Caro, v. Degenkolb, Effmann, Elster, Grünhagen, Hüffer, Jostes, Kaufmann, Kruse, Neumann, Reinhardt, Semrau, v. Sigwart, Wilcken.

Quos viros clarissimos grata semper colam memoria, imprimis vero R̃m̃os et Ill̃m̃os Dr. Dr.: A. Koenig, H. Laemmer, A. J. Nürnberger, qui me in studiis persolvendis consilio atque auctoritate magnopere adiuverunt. Inter theologicas et philosophicas disciplinas tunc temporis maxime historiae ecclesiasticae incumbens, exercitationibus historico-ecclesiasticis, quas R̃m̃us et Ill̃m̃us Professor Dr. Laemmer, Protonotarius Apostolicus, moderabatur, adfui necnon per biennium sodalis exstiti seminarii regii historici Universitatis Viadrinae. Primo et secundo examine theologico absoluto unum annum in seminario clericali Wratislaviensi commoratus ab Ẽm̃o et R̃m̃o S. R. E. Presbytero-Cardinali D. D. Georgio Kopp, Principe Episcopo Wratislaviensi S. Presbyteratus Ordinem suscepi die XXI. Junii MDCCCXCVII. Licentiati SS. Theologiae gradum, postquam die V. Martii MDCCCXCVIII a R̃m̃o Theologorum Catholicorum Ordine Universitatis Viadrinae praestitis praestandis obtinui, primum in ecclesia parochiali Warthensi capellani, deinde (sc. ab ineunto mense Julio MDCCCXCVIII) in cathedrali ad S. Joh. Baptistam Wratislaviensi vicarii officia mihi delata sunt. Eodem anno ad finem vergente studiorum causa Romam profectus hac in Urbe ultra

duos annos (sc. a die I. Nov. MDCCCXCVIII usque ad diem XV. Martii MCMI) me totum dedi litteris.

Ab initio in numerum capellanorum ecclesiae S. Mariae de Anima receptus, scholis Juris Canonici a doctissimis viris in Universitate Gregoriana habitis per duos fere annos interfui et tribus superatis examinibus sc. pro gradibus Baccalaureatus, Licentiae et Doctoratus in Jure Canonico rite obtinendis, die XXVI. Julii MCM lauream accepi. Deinde annuente Emo et Rmo Cardinali Angelo di Pietro, S. Congregationis Concilii Praefecto, membrum instituti „Studio del Concilio" nuncupati factus sum, in quo dubia iuxta morem eiusdem Congregationis de iure solvenda Illmo et Rmo Archiepiscopo Cavicchioni praesidente proponebantur, antequam Causae ipsae a S. Cardinalium Collegio diiudicarentur.

Sed non minus studium ad documenta historica, dioecesem Wratislaviensem potissimum concernentia, sedulo colligenda contuli; quare primo loco Tabularia Vaticana, deinde etiam alia insigniora archivia et bibliothecas dictae Urbis sc.: Barberinianam, Angelicam, Vallicellianam frequentavi. In huiusmodi studiis tum historicis tum archiologicis viri nomine celeberrimi Ehrle, Denifle, Eubel, de Waal, Wilpert necnon directores et officiales institutorum historicorum et Borussici et Austriaci mihi erant adiutores indefessi, quibus gratiam debitam semper referam. Ab ineunte mense Aprili MCMI, cum Wratislaviam rediissem, curae animarum in ecclesia parochiali ad S. Henricum huius urbis per XV menses addictus die I. Julii MCMII ab Ordinario meo puerorum convictorio episcopali Wratislaviensi dirigendo praefectus sum, quo munere adhuc fungor.